

FAVENTE CAUSA NOSTRÆ SALUTIS MERITORIA!

JONATHAN

MERENS,

CUJUS OCCASIONE DE CAU-  
SÆ MERENTIS NATURA AC  
DEFINITIONE, EJUSQVE ESSENTIALIBUS ET  
GENUINIS REQUISITIS DISTINCTIUS  
DISQVIRITUR,

Benevolo Ampliss. Facult. Philos. Indultu,

*in*

FLORENTISSIMA AD SALAM ACADEMIA

*publico amicoq; candidè Philosophantium Examine  
propositus,*

PRÆSIDE

M. JOH. GOSWINO FRIDERICI,  
Sulatenfi Gvestphalô,

&

RESPONDENTE

MICHAEL-THEOPHILO TESCHIO,

SS. Theol. St. Weischizio - Misnico,

*ad d. 8. Decembr.*

H. L. Q. S.

---

J E N Æ,

Literis JOH. DAV. WERTHERI, Typographi Ducalis.

Anno M. DC. LXXXIII.



FAVENTE CARA NOSTRA SALUTE MERITORIA!

IONATHAN

MERENS.

CUJUS OCCASIONE DE CALL.

SAE MERENTIS MATRIBUS AC

DEFINITIONE, ERRORE REPERTIBUS ET

GENIUS REQUIRITIS DISTINCTIS

DISQVIRITUR.

Benevole Amplis Facultatis Indultu

FLORENTISSIMA ALI SALAM ACADEMIA

publico amplexu

F. A. S. I. D. B.

M. JOH. GOSWINO FRIDERICI

Salutem Gvesphalo.

MICHAEL THEOPHILUS TESCHIO,

Salutem N. G. M. M. M. M.

ad a. b. c. d. e.

1732

Libris JOH. DAV. GOSWINI, Typographi Ducalis.

Ann. M. DC. LXXXII.







Σὺν τῷ Θεῷ.

# PROOEMIUM.



Edrô profectò laurôque digna est, Vetus Veterum formula : *Cui Bono ?* Quâ sicuti mortales monere voluerunt omnes , ut, antequam operi cuidam manus applicent , sedulò prius considerent, quis ejus sit Finis , an aliqua & quænam ex eo promanare possit utilitas ? Ita imprimis idipsum perpendendum venit illis , qui Musis animum consecrarunt , & in Academiis viventes disputationis specimen pu-

blicæ lucis facere decreverunt ; ne nempe talem seligant materiam, quæ vel minimum vel planè nullum aut sibi aut aliis promittere possit commodum : Optimè de se scribit Optimus Hist. Rom. Scriptor. *Livius* quando *Lib. 4. c. 3.* inquit ; *Eò omnem impendi laborem , quò honor speratur & emolumentum.* Est Exemplum imitatione dignissimum ! Quis enim quæso in ejusmodi materiis ingenii ætatisve nervos intendere vellet , quàm minus usus arbitrantur atque commodi. Quod nullum usum atque commodum præstat , frustra censetur esse ; quod verò frustra est, hoc ipso non est, sunt Verba Magistri subtilitatum *Exercit. 61. sect. 1.* Qualis autem quantusve nobilis de Causâ Merente Doctrinæ sit usus, neminem latere potest , nisi eum, qui in Moralibus pariter atque Theologicis jejunum se profitetur, hospitem. Sanè (usum in moralibus silentii peplo ut nunc in-





vamus, ) hæc de causâ merente materiâ futuro Acroamaticæ  
atque Polemicæ Theologiæ Studiofo tam necessaria est, ut sine  
accuratiori ejus notitiâ in dirimendis Controversiis Theologicis  
multis feliciter progredi minimè possit. Quomodo enim,  
quæso Pontificiis, pro bonorum operum merito in Articul. de  
justif. ex ratione concludentes, satisfaciet, si doctrinam de causa  
Meritoriâ sibi perspectam non reddiderit? Quomodo impia  
Socinianorum tela adversus satisfactionem Christi ejusque me-  
ritum directâ, dextrè repellet? Quid Wendelino in doctrina  
de prædestinatione satis subtiliter philosophanti reponet? Cer-  
tè si non obmutescet planè, hærebit sæpius, impinget, halluci-  
nabitur. Hanc autem si probè cognitam habuerit materiam,  
masculè stabit cunctis, singulasque eorum strophas facillimo  
removebit brachio. Et præclarus hic causæ merentis usus in  
controversiis præprimis Theologicis (quem, ubi occasio tulerit,  
extremo saltem digito tetigimus, prolixiorẽ ejus tractationem  
peculiari Disputationi Theol. reservantes, ) unicè nobis incita-  
mento fuit, ut eandem privatos inter parietes confarcinandam  
judicaverimus dignam. Ne vero, propter intricatam,  
qua involuta jacet, difficultatem, Candido Lectori tædium ali-  
quod crearetur, eam, quò plausibiliori appareret facie,  
variis non solum exemplis illustrare studuimus; sed in illustri  
quoque Exemplo biblico (*Jonathanis*) tanquam in limpi-  
dissimo speculo, præsentare voluimus. Quod, distinctas fa-  
cturi Sectiones, hoc pertractabitur ordine, ut Sectio (1) Tra-  
dat Historiam. (2) Exponat causæ merentis naturam.  
(3) Jonathanem causam merentem dilucidè probet, motas-  
que objectiones solvat, (4) Divisiones causæ merentis ad-  
ducat & applicationem ad Jonathanem faciat.

Faxit Deus ut omnia fe-  
liciter!

SECT.



## SECT. I.

tradens

### Historiam.

§. I.

**P**ostquam natus minimus Isai Filius David, Corpore & animo pulcher, cum tumente de Castris Philistarum Gigante feliciter dimicasset exoptatamque Victoriā gloriose reportasset; Jonathan Regis Filius tanto eundem complectebatur amore, ut oculis ejus nihil charius nihilque carius existeret, quam unicus Triumphator David. Hic erat ipsi suavis in ore, gratus in corde, jucundus in conversatione; Amabat eundem amore fraterno, amabat eum ut proprium cor, ardentem, constanter. Singularissimi cujus Amoris specimen faciebat non unum. Vix enim David ex prælio fuerat reversus, Jonathan regiis eundem exornabat Vestibus. Cum Rex Saul optima Davidis merita pessimè coronare constituerat, crudelem Regis animum, quo mutaret in meliorem, omnem movebat lapidem. Quando inimicus Saul incusabat; excusabat amicus Jonathan: Si parens minabatur; commendabat Filius: Si mandata affigebantur cruenta, intercedebat Jonathan etiam cum proprio vitæ periculo. Et cum tandem videret se precibus ac intercessionibus suis apud iratum parentem nihil quicquam impetrare posse, sed contra tam ex verbis quam gestibus ejusdem tyrannicis non sine maxima tristitiâ colligeret, de vita optimi & conjunctissimi sui amici Davidis, ni fugâ sibi consulere, nunc certò certius actum esse; rem statim omnem signis & verbis, verbis & Lacrymis revelabat, innocentemque Davidis sanguinem à cruento Regis gladio exoptatissimè liberabat. Sunt sanè beneficia majora, maxima! Sed quid his Jonathan? Certè nihil intendebat aliud, quam misericordiam & beneficentiam domui suæ post obitum suum à Davide benignè conferendam; quam etiam David, ut sanctissimè promittebat, sic fideliter postmodum atque largissimè præstabat. Postquam enim, mortuo Saule ejusque Filio

A 3

Jona-



Jonathane, regiam adeptus erat Majestatem, cum beneficiorum acceptorum tum factorum promissorum quotidianam recolens memoriam, de reliquis ex Familia Jonathanis diligentem faciebat inquisitionem; Et cum experiretur unicum adhuc superesse Filium, Mephibosethum claudicantem; Illum adducendum curabat, adductum clementer excipiebat variisque beneficiis honorificè maectabat. Et hoc unice uniceque propter Merita Jonathanis Mephibosethi Parentis tunc defuncti. Vid. 1. Sam. c. 18. c. 19. c. 20. 2. Sam. 9. Verba ex sacris Pandectis imprimis huc facientia extant 2. Sam. 9. v. 1. ubi David: *Estne aliquis qui remanserit de domo Saul ut faciam cum eo misericordiam* בעבור יהונתן **PROPTER JONATHANEM**, item v. 7. *Ne timeas Mephiboseth, faciam tecum misericordiam* בעבור יהונתן אבין **PROPTER JONATHAN PATREM TUUM**. Hoc est, prout Paraphrasis D. Luc. Osiand. in h. l. part. 1. Bibl. paraph. p. 488. habet. *Mephiboseth, nihil mali à me expectabis, bono esto animo, quia certissime in te conferam multa & magna beneficia, sincera & constanti te complectar benevolentia* **PROPTER JONATHANEM PATREM TUUM**, *Virum verè pium, candidum, amicum olim meum fidelissimum & longè charissimum.*

§. 2. *En! Jonathanem causam merentem beneficiorum à Davide in Mephibosethum collatorum.* Hoc quo nunc clarius explicetur & intelligatur plenius, factâ relatione historicâ, *Causæ merentis delineationem, eâ tamen qua fieri potest brevitate & perspicuitate, nunc subjicimus.* Sit igitur

## SECT. II.

explicans

### Causæ Merentis Naturam ac Definitionem.

§. 1.

**I**N definitionis fretum antequam nos immittamus, *Notationem Nominis*, ex cujus intelligentia, in ipsius rei perceptionem cum sæpenumero perveniamus, breviter præmittimus.

§. 2. Di-



§. 2. Dicitur *Causa Merens à merendo*, quod est à Verbo *mereo* vel *mereor*; mereo verò & mereor subtilitatum Magistrum à Græco *μείρω* distribuo deducere affirmat Martin. in Lexic. Quamvis Martin. ipse has voces à *μείρω*, quod *nanciscor*, *sortior*, *impetro* significat, originem habere putet; ita ut notio sit à causa, & mereri sit causa nanciscendi & obtinendi aliquid, non quidem quovis modo, sed κατ' ἀξίας, dignè. Cui nos quoque subscribimus.

§. 3. *Homonymiam* Causæ merentis quod attinet, solet quidem aliquando Causa merens tam de merente mali, quam de merente boni ab Aa. dici. Sicuti enim meritum est Vocabulum *μέριον*, quod æquè de merito mali ac de merito boni usurpatum legimus, ut quando Ovid. met. XIV.

--- --- --- --- *Virgine raptâ*

*Quam meruit pœnam solus digessit in omnes.*

Ita idem de Causa merente pronuntiandum videtur; quamvis celare minimè possim, quod apud accuratiores Philosophos, causam merentem mali *absolutè* causam merentem dici, Vix inveniatur. Solent enim eandem vel causam demerentem, vel cum additò, causam merentem mali, vocare. Causa autem merens boni *absolutè* & *in specie sic dicta* causa merens dicitur. Et cum de hac nunc unicè in præsentì disputatione sermo nobis erit, ulterius notamus; eandem non uno ab Aa. sumi modo. Interdum enim sumitur Causa merens κατὰ χρευσικῶς & *impropriè*, pro eo, qui per quamcunque actionem quocunque modo aliquid impetrat; quomodo mereri nihil aliud est quam *τυχεῖν*, consequi. Vid. Magn. Gerh. Confess. Cathol. part. ult. p. 852. Hâc ratione discipulus diligenter studens; Servus emptitius strenuè laborans præmii ex mera gratia & liberalitate à Præceptore vel Domino promissi & exhibiti, Causæ merentes dici possunt. Interdum autem *propriè*, pro tali causa, quæ per actionem indebitam meretur compensationem dignè & ex justitiâ. In quo significatu aliquando ita *strictè* sumitur, ut tantum denotet causam, cui fit compensatio operis ex justitia particulari *συμβαλλήτως*, & ex debito strictè dicto, ita ut, si ipsi compensatio non fiat, de injuria conqueri possit, & facultatem habeat



habeat compensationem stricto jure, vi & actione exigendi. Aliquando v. paululum *laxius*, quatenus sub se complectitur etiam illam, quæ dignè quidem aliquid meretur, sed id, quod meretur stricto jure poscere non potest. Et in hac significatione nobis in præsentiarum causa merens sumitur; nempe, quatenus denotat causam quæ dignè aliquid meretur, sive id, quod dignè meretur, stricto jure exigere possit, sive minus.

§. 4. In percontanda *Synonymiâ* operâ minus cunctante nos expedire possumus. Dicitur aliàs *Causa meritoria*, (*Moralis*) Dico *Moralis*, quò causam meritoriam, de qua hic agitur, distinguamus ab illa, quam Philosophi *Causam Meritoriam impulsivam* aliàs vocant, estque nihil aliud quam meritum quatenus illud causa impulsiva est. Vid. B. DN. D. Pet. Mus. just. met. c. 26.

§. 5. Hæc præmissa sequitur *Definitio*, quam cum *Viro maximè Reverendo, Amplissimo atque Excellentiss. DN. VALENTINO VELTHEMIO, SS. Theol. D. ejusdemque in alma Salanâ Prof. Publ. celebratissimo, Dn. Patrono atque Præceptore nostro maximè suspiciendo, ex Instit. suis Met. c. 25. p. 1194.* ponimus hanc: *Causa merens sive meritoria est Causa Moralis, cujus intentio se exerit per meritum.* Quam laudati Viri definitionem paulò intimiori curâ perlustrabimus.

§. 6. Generis loco in ea ponitur *Causa Moralis*. Est enim *Causa merens* species, vel peculiaris causæ moralis modus. *Causa* Metaphysicis dicitur *principium, unde aliud in esse suo procedit.* *Causam moralem* (variis variorum sententiis posthabitis, dicimus) *Causam efficientem liberam mediatam*, sive quod idem est: *Causam mediatam per intentionem.* Ex quo inferimus: Omnem causam merentem esse causam liberam, & nullam causam liberam esse causam merentem nisi sit mediata. *It.* Omnem quidem causam merentem esse causam mediatam per intentionem; nullam autem causam mediatam per intentionem esse causam meritoriam sive merentem, nisi intentio ejus sit efficax per meritum.

§. 7. Esse vero *Causam merentem speciem Causæ Moralis*, in eo consentientes habemus *Viros Celebratissimos,*



mos, ex quorum numero unicum nunc nomino B. DN. Sle-  
vogtium Philosophum pariter atque Philologum, dum viveret,  
excellentissimum, qui causam merentem ad nullam aliam  
quam ad causam moralem refert. Audi verba B. Viri, in Disp.  
de Causa Morali, quæ in Vol. Disp. est, XXIX. §. 78. Quintò, ait,  
*Causa Moralis est illa quæ agens Physicum ad agendum movet per  
modum meriti; Objicis: Causa merens movet, E. est causa im-  
pulsiva.* Resp. negando majorem. Non omne quod movet est  
causa impulsiva; Quædam causæ morales movent, causa fina-  
lis movet, non tamen sunt causæ impulsivæ: Quamvis cau-  
sam merentem aliquo modo movere dici possit, non tamen ea-  
propter statim causæ impulsivæ nomine venit; movere enim di-  
citur causa merens eam tantum ob causam, quia meritum tan-  
quam motivum applicat: Movet igitur causa merens tan-  
tum mediatè, sicut causæ morales movere solent; quibus per ac-  
cidens est ut moveant; non enim omnis causa moralis movet:  
Obadia recondens centum Prophetas erat causa moralis eorum  
conservationis, absque omni tamen motione 1. Reg. 18. Causa  
verò impulsiva movet immediatè. Motio unde causa impulsiva  
dicitur movens, est causalitas causæ impulsivæ: Motio verò  
unde causa merens dicitur movere, non est causalitas causæ me-  
rentis; sed ejus causalitas, ut mox dicetur, est intentio efficax per  
meritum; Causa impulsiva ex sua natura & qua talis mo-  
vet, Causa autem merens s. meritoria si ἀρετῆς loqui veli-  
mus, qua talis non movet, sed motivum saltem applicat, nempe  
meritum quod ut causa impulsiva movere potest. Sic E. g.  
Operarii Matth. 20. erant causæ merentes denarii, ipsorum verò  
labor s. meritum erat causa impulsiva, movens patrem familias  
ad denarium dandum.

§. 8. Manet igitur, Causam merentem, qua talem, ad causam  
pertinere moralem. Quod nunc ulterius ex adducendis ejus re-  
quisitis singulis ad oculum patebit.

§. 9. Tria aliàs cujusvis causæ dari requisita, ex quibus, an  
aliquid & qualis quid sit causa, cognoscere licet, adeò no-  
tum est, ut sit quam notissimum. *Primum requisitum* dici so-  
let *Materiale Cause*, quod est res illa quæ est apta ut sit vel  
fiat causa. *Secundum est Ratio causandi*, hoc est, id, quo quid

B

aptum



aptum est ut sit vel fiat causa. *Tertium est Causalitas*, quæ vocatur id, quo aliquid actu est causa. Rem unico liceat illustrare Exemplo: Sic v. g. Exod. 37. Bezaleel arcam fœderis conficiens (licet non præcise ut Bezaleel) erat materiale causæ efficientis. Ratio causandi erat potentia, qua Bezaleel arte fabricandi pol- lens, arcam conficere poterat. Causalitas vero sive id quo Beza- leel actu existebat Causa efficiens arcæ, erat vera & realis actio, ipsa nempe arcæ extractio. Ita quoque Causa merens his gaudet requisitis, habet nempe hæc suum materiale; suam, causandi rationem suamque causalitatem, ex quibus colligi potest, quod aliquid sit Causa merens & ad quod causarum, genus causa merens pertineat. Tentabimus hæc requisita or- dine monstrare.

§. 10. *Materiale causæ merentis*, sive illud, quod aptum est, ut sit vel fiat Causa merens, dicimus esse *Suppositum intelligens, idque solum*, ratio hæc est, quia Causa merens est causa per in- tentionem, quæ non cadit nisi in agens intellectuale. Sic, ut in Exemplo §. 7. adducto maneamus, Operarii in Vineâ erant mate- riale causæ merentis mercedis; nisi enim denarium mereri po- tuissent, illum non promeruissent.

§. 11. Bruta igitur ex causarum merentium classe penitus relegata volumus; ob defectum hujus requisiti primi; quia, nempe non sunt supposita intelligentia. Hinc licet E. g. Petrus Equorum auxilio agrum Johannis proscindat, Equi tamen causæ merentes mercedis, quam Petrus a Johanne sortitur, dici minimè possunt. *Inquis*: Equus saltem causæ merens in- strumentalis est: *Resp.* Negatur: Nam ad causam merentem, instrumentalem æque ac principalem requiritur, ut sit agens intellectu & voluntate præditum. Equus ratione culturæ est causa effic. physica; ratione v. Mercedis, quam Petrus accipit, neq; causa physica neq; moralis, adeoque nec meritoria ullo mo- do dici potest.

§. 12. Unica adhuc solutionem meretur objectio. Dicat, quis: *Si Bruta possunt esse causæ demeritoria, h. e. causæ merentes mali s. pœnæ, sequitur, quod etiam esse possint causæ merentes boni s. præmii.* Sed prius est verum, E. Ratio Consequentia datur hæc: *Quia*  
causæ



causæ merentis & demerentis, quoad materiale idem est judi-  
 cium. Prius prob. ex S. S. ut Exod. 21.29. ubi bos, qui hominem  
 occidit, lapidari jubetur. Levit. 20. 15. ubi brutum, quo cum  
 rem habuit homo, cum homine occidendum præcipit Deus.  
 Quibus addi solet Jos. 7. ubi Achan cum Filiis, afinis & omnibus  
 quæ habuit, ob furtam combustus legitur. Verum negamus in  
 Argumento prius s. assumptum. Bruta nec causæ demerentes,  
 nec puniri *proprie loquendo* dici possunt. Ad Causæ demeren-  
 tis æque ac Merentis materiale requiritur, ut sit agens intel-  
 lectuale. Subjectum pœnarum, ut ex moralibus constat, est a-  
 gens liberum, quod per delictum culpam sibi contraxit atque  
 reatum. Pœna est malum triste, quod infligitur delinquenti ob  
 culpam nondum remissam in vitæ emendationem. Jam v. quia  
 bruta non sunt agentia intellectualia & libera, actiones quoque  
 illorum malitiæ moralis, culpæ & reatus, tanquam pœnarum  
 fundamenti, capaces non existunt, & per consequens bruta causæ  
 demerentis denominationem nec subire, nec pœna *proprie dicta*  
 affici possunt. *Notanter a. dixi pœna proprie dicta.* Nam si quis  
 vocem pœnæ improprie sumere vellet, pro quovis malo passionis  
 quod alicui infligitur, concedere possemus, brutis pœnam *im-*  
*proprie* talem, malum aliquod passionis infligi posse; Sed exinde  
 nihil contra nos concludi posset, utpote quibus non de pœna  
*improprie*, sed *proprie dicta* sermo est. Quod igitur allata con-  
 cernit Exempla, ad prius dicimus: Quamvis bovem cornupetam  
 Deus jusserit occidi, non tamen putandum est quasi occisio hæc  
 fuerit *pœna proprie dicta*; & quod bos hanc occisionem tanquam  
*causa demeritoria* demeruerit: Nam actio bovis non habuit ra-  
 tionem actionis moraliter malæ, ob defectum principii actionis  
 moraliter malæ, quod est *ἀνευ νοεραίας*; hinc etiam occisio illa re-  
 spectu bovis rationem *proprie dictæ* pœnæ habere nequit. Quod  
 v. Deus bovem e medio tollendum jusserit, ideo factum est, ut  
 indicetur, quantum peccatum sit homicidium ab homine com-  
 missum, cum sanguis hominis etiam a bruto, quod tamen  
*ἀνευ νοεραίας* agit, repetatur. Idem fit iudicium de Levit.  
 20. Brutum, cum quo rem habuit homo, non comburi debuit,  
 ut *causa demerens* vel propter commissum delictum; sed ob de-



testationem horreni & fœdissimi istius sceleris , quo sublato cum homine bruto , memoria facti eo facilius deleretur. Tertium quod attinet Exempl. Achan quidem pœnam sustinuit, propriè dictam quam furto demeruerat, itemque ejus filii, si de delicto paterno participarant ; reliquæ vero possessiones ejus non item : Quis enim Tabernaculum punitum fuisse diceret ? Hoc igitur cum reliquis Achanis possessionibus flammis fuit, expositum ad indicandam magnitudinem peccati ab Achan commissi, propter quod omnes etiam ejus possessiones, ab omni culpa immunes, Vulcani pabulum factæ.

§. 13. *Alterum requisitum* nempe *Ratio Causandi cause merentis*, hoc est, id, quo quid aptum est ut sit vel fiat causa meritoria, est *potentia libera*, qua quis potest actionem meritoriam, exercere & mediante *Causa Physica* causa mediata præmii existere. Sic *Ratio causandi* ex parte operantium erat potentia illorum libera, qua laborem in Vineâ libere suscipere & causæ meritoriae denarii existere poterant.

§. 14. Hæc de ratione causandi causæ merentis ut eo rectius intelligantur, observandum est, Triplicem alias à Philosophis statui libertatem ; quarum prima dicitur *Libertas a necessitate* ; Secunda *Libertas a coactione* ; Tertia *Libertas a servitute*. Ubi tamen *nota*, quod sola libertas a necessitate absolute & simpliciter libertas dicenda sit, quia hæc sola subjectum suum intrinsicè liberum denominat. Dicitur autem *Liberum a Servitute*, quod *alterius imperio non subest*. Quod fieri potest dupliciter : (1) *absolute*, quando quis prorsus nulli est subjectus; quomodo Summus Deus, isque solus, liber dicitur. (2) *secundum quid*, quando quis nullius imperio in his terris subest; Quomodo Imperator Rom. Rex Galliarum &c. Liberi sunt. *Liberum a coactione dicitur*, quod *agere potest nulla vi externa adactum* ; qualis libertas in bruta quoque cadit. Sic Equus sponte & nulla vi adactus accurrit ad præsepe, Canis ad offam. *Liberum denique a Necessitate dicitur*, quod *indifferenter se habet ad utrumque oppositorum, ita ut positus omnibus ad agendum prærequisitis, possit agere & non agere, agere*



gere hoc & agere illud. Quali libertate gaudebat primus noster parens Adam in statu innocentiae, poterat enim is peccare, poterat idem & non peccare. Utinam ad ultimum se determinasset!

§. 15. Quando nos ad causam merentem requisivimus potentiam liberam, intellectam volumus libertatem a necessitate. Hoc est, volumus ut in libero agentis arbitrio positum sit, actionem, qua mereri vult, exercere & non exercere. Libertatem a servitute non adeo necessariam esse ad causam meritoriam, quivis facile videt; Cum minima pars hominum a servitute liber sit; imo & subditus apud suum, cuius subditus est, Principem vere mereri potest. Libertatem vero a coactione quod concernit, illa licet agens gaudere debeat, per eam tamen praecise aliquid aptum esse, ut nomen causae merentis subire possit, dici non potest, nisi & bovem & asinum causam meritoriam dicere velis, quod supra, ut *ἄποδοξον*, rejectum.

§. 16. Cum autem Libertas a Necessitate duplicis iterum sit generis, *Alia nempe Physica, alia vero Moralis*; Hinc ulterius quaeritur, quanam hic praecise intelligatur, an physica, an moralis, an utraque? Ad quod antequam respondeamus, utriusque descriptionem verbo subnectimus. *Libertas Physica dicitur illa, vi cuius quis indifferens est ad agendum & non agendum, nulla habita ratione, an juste vel injuste, licite vel illicite agere possit, quod agere vult vel agit. Libertas autem moralis respicit jus & licentiam, & est talis libertas, vi cuius quis ita aliquid potest agere, ut, sive agat, sive non agat, sive agat hoc, sive illud, non peccet.* Sic E. g. David habebat quidem libertatem physicam concumbendi cum Bathseba, non autem habebat libertatem moralem; nam non poterat David hunc actum licite exercere; quia hic actus erat actus adulterii, actus per se illicitus & sua natura turpis, & hinc moraliter necessarius, necessitate nempe omissionis. Aliud addam Exemplum ex Gen. 43. v. 32. ubi dicitur, quod Aegypti non possint comedere panem cum Ebraeis, nempe licite, h. e. moraliter, illud ipsis liberum non erat, quamvis id physice loquendo omnino potuissent. Hinc B. Luth. יוכלו לא elegantissime reddidit: Sie dürfen nicht. Jam dicimus: Ad potentiam, qua  
B 3 quis



quis existere debet causa merens, semper requiritur, ut sit *physice libera*, quamvis ut sit *libera moraliter*, non semper sit necessarium: Nam potest etiam quis per actionem moraliter bonam, quæ non est moraliter libera, sed necessitate commissionis necessaria, causa existere meritoria; sufficit enim, quod adplicatio ad individuum hoc vel illud in libero agentis posita fuerit arbitrio, & quod ad actionem moraliter bonam quam præstat, illi cui eandem præstat, stricto jure non fuerit obligatus. Sic E.g. Cinitæ per misericordiam (quæ erat actio moraliter bona, & sic necessaria necessitate commissionis) Israelitis exhibitam, erant causæ merentes magni istius beneficii, quod nempe cum Amalecitis a Saule non eradicarentur, 1. Sam. 15.

§. 17. Rationi causandi succedit Requisitum tertium, nempe *Causalitas* causæ merentis, sive id, quo quis actu & formaliter Causa meritoria existit. Hæc Causæ merentis Causalitas, ut in definitione intimatum, est *intentio*, non quidem nude talis, sed *cum Connotato eo, per quod illa est efficax*, quod est *meritum*, quo causa physica movetur ad effectum a Causa merente intentum immediate producendum, h. e. ad mercedem vel præmium conferendum. Ita E. g. intentio, qua operarii Vineæ denarium intendebant, quamq; per actiones meritorias, quibus Paterfamilias ad dandum denarium movebatur, efficacem reddebant, erat Causalitas, per quam actu denarii causa meritoria existebant.

§. 18. Intentionis Vox (quæ ratione originis denotat actum, quo quis in aliquid tendit) licet aliquando *minus proprie* sumatur pro actu adpetitus sensitivi, (qua ratione canis hyemis tempore ad fornacem accurrens calefactionis causa per se ratione intentionis ab aliquibus dici solet) imo a quibusdam Philosophis rebus omni cognitione carentibus tribuatur, Vid. B. Dn. D. Pet. Mus. in Instit. Metaph. c. II. §. 13. p. 109. Hic tamen illa *propriissime* sumitur & *primario* pro actu Voluntatis, quo in hoc vel illud tendimus, & efficaciter volumus. Dicitur (1) *actus Voluntatis*, nempe *formaliter*; licet enim intellectus objectum suum cognoscendo in id quasi tendere quoque videatur, *formaliter* tamen intentio actus voluntatis est. Vid. *Disp. de causa moral.*



*ral. Max'm. Rev. DN. D. Velthemii C. 4. §. 19. ibique citatum Thomam 1. 2. quæst. 12. art. 1. Interim tamen negari non potest, intentionem actum intellectus semper præsupponere, ita, ut nihil possit intendere Voluntas, nisi illud prius fuerit cognitum ab intellectu; Ignoti enim nulla cupido, nulla intentio. Dicitur (2) Efficaciter volumus. Ubi ante omnia notandum, phrasin Efficaciter aliquid velle & intendere, dupliciter apud Philosophos explicari. (α) idem est, ac ita aliquid velle, ut simul omnia necessaria adhibeantur media, rem intentam consequendi, sive res per media adhibita postmodum impetretur, sive non. Sic Ægyptiorum Rex Pharaō efficaciter volebat Eradicationem Populi Israelitici, cum illum magno Exercitu furiose persequeretur; quamvis cum tota sua militia in maris profundo miserè periens, sine suo penitus frustraretur. Exod. 14. Opponitur autem τῷ efficaciter intendere, hoc modo sumto, Voluntas inefficax, quatenus illa idem est, ac aliquid velle, ita, tamē ut is, qui vult, id, quod vult, per media consequi nolit. Sic multis quidem Corona Doctoralis arridet, eandemque cupiunt plures; verum sub Palladis vexillo strenuè pugnare recusant, sine quo tamen illa legitime obtineri nequit. Quæ v. Voluntas & intentio rectius nudus complacentiæ actus, quam vera intentio, dicitur. (β) Efficaciter velle & intendere idem est, ac rem, quam per media impetrare studemus, actu consequi; quomodo τῷ efficaciter velle opponitur omnis illa voluntas, quæ finem suum non assequitur, quamvis etiam omnia, quæ ad eundem consequendum erant necessaria, adhibita fuerint media. Hoc modo Haman inefficaciter intendebat Judæorum deletionem, quia finem intentum per media non obtinebat. Esther vero Regina efficaciter voluit populi sui Conservationem, quia eandem per petitum & scriptum consequabatur ex voto. Esth. c. 3. & c. 8.*

§. 19. Efficax intentio quando a nobis dicta fuit Causalitas causæ merentis, intelligimus intentionem, efficacem non priori, sed posteriori modo sumptam, illam nempe, quæ effectum intentum & per causam physicam producendum, re ipsa consequitur, h. e. quæ præmium, quod intendit, ab eo, cui actionem præstitit, impetrat. Nam sicuti per solam intentionem nemo causa

causa



causa moralis dici potest, E.g. 1. Sam. 19. Saul Filio suo Jonathani  
suisque ministris in mandatis dans, ut Davidem occiderent, in-  
tendebat mortem Davidi inferendam, quo ipso existebat quidem  
Causa in genere morum, non autem erat causa moralis, quia  
mandatum mandatarii non exequiebantur & effectus a Saule,  
intentus esse suum non accipiebat: Eodem modo licet quis  
per actionem meritoriam efficaciter bonum aliquod intendat,  
fieret autem, ut meritum Causam physicam ad bonum confe-  
rendum non moveat, tunc is, qui meritum præstitit, causa me-  
ritoria dici non potest. Sic E.g. David magno vitæ periculo  
cum Goliatho dimicans intendebat quidem præmium Victori  
promissum, Filiam nempe Saulis; quoniam v. Saul, prælio feli-  
citer peracto, Filiam suam non Davidi, sed Adrieli in matrimo-  
nium locabat, David causa merens dici non poterat; fuisset  
enim Causa merens absque omni causato, quod absurdum!  
Causa & causatum sunt relata; Relatorum autem natura si-  
mul est. Causatum est id, a quo aliquid est & dicitur causa;  
deficiente igitur causato, non datur causa.

§. 20. Pluribus, quæ de intentione adduci possent, nunc  
omissis, hoc saltem addimus: Ad Causam merentem non requi-  
ri, ut Effectum, h. e. præmium, quod consequitur, *directe* sem-  
per intenderit, sed sufficit aliquando, quod illud intenderit *in-*  
*directe*, h. e. non semper necessarium est ad causam meritoriam,  
ut præmium illud, quod impetrat, voluntatis *actu positivo per se*,  
*explicite & distincte* voluerit, sed sufficit aliquando, quod præ-  
mium, tanquam effectus, ex agentis opere, tanquam ex sua cau-  
sa, sequatur: Sufficit, quod agens opus præmio dignum præsti-  
terit, & quod probabiliter scire potuerit, hoc suum opus, præ-  
mio dignum, ab eo, cui præstitum est, aliquo præmio coro-  
natum iri vel coronari potuisse, licet *distincte* non cognoverit,  
se illud in specie, quod accipit, præmium & non aliud impetra-  
turum fuisse. Et hoc maximam partem contingere solet tunc,  
quando præmium, quod propter meritum confertur, secundum  
modum & quantitatem in libero conferentis arbitrio relictum  
fuit. Sic E.g. Gemmas, aurea & argentea supellectilia, quæ  
Populus Israeliticus loco præmii dabat Judithæ, Magnanima  
hæc



hæc Herois *directe* & *in specie* non intenderat, erat tamen horum causa vere meritoria, quia hæc bona ob factum heroicum, (occisionem Holofernis) ejusmodi præmio dignissimum ab Israelitis ipsi conferebantur. Judith. 15.

§. 21. Hæc fuerunt Causæ merentis Requisite, ex quibus non potest non esse perspicuum, eandem, ut §. 5. & 6. differuimus, ad Causam esse referendam moralem. Habet enim Causa merens materiale causæ moralis, quod est *agens intellectuale & liberum*, uno verbo: *Persona*. Habet rationem causandi causæ moralis, quæ est *potentia libera mediata*. Habet quoque causalitatem Causæ moralis, quæ consistit (non in imputatione, neque in morali motione, sed) *in intentione per Causam Physicam efficaci*. Hæc in formam Syllogisticam si redigenda forent, talis prodiret Syllogismus:

*Quicquid habet omnia Requisite Cause moralis, id ipsum est Causa moralis.*

*Atqui Causa merens habet omnia Requisite Cause moralis.*

*E. Causa meritoria est causa moralis.*

Major in Solis mensa posita est. Minorem vero hæctenus dicta luculenter probant.

§. 22. Si v. Causa merens est causa moralis, ultro sequitur, eandem in causarum *efficientium* classem locandam esse, quia omnis Causa moralis est causa efficiens vera & proprie dicta (mediata.) Et innuit hoc Causæ merentis causalitas nempe *intentio*, quæ est vera & realis actio. Est autem Causa merens æque ac Causa moralis omnis, effectus illius, cujus est causa merens, causa semper *mediata*, quia causa merens in effectum, cujus Causa meritoria dicitur, immediate non influit, sed eundem mediante alia causa principali producit; hoc est, Causa meritoria sibi ipsi præmium non confert, sed alterum ad præmium conferendum, per meritum suum movet. E. g. Operarii in Vineâ non erant Causæ immediatæ expositionis denarii, denarium sibi ipsis non conferebant, sed erant istius causæ tantum mediatæ; per meritum præstitum movebant patremfamilias, ut hic per procuratorem suum denarium illis conferret. Et hoc de *Genere*.

§. 23. Ad Causæ merentis *differentiam* ut nunc promoveamus

C

mus



mus pedem, innuitur illa per vocem *meriti*, quando in definitione diximus: *Exerit per meritum*. Meritum enim est id, quod causam merentem sive causam meritoriam (moralem) constituit, & per quod illa ab aliis causæ moralis speciebus distinguitur. Intentio efficax omnibus causis moralibus est communis; sed intentio efficax per meritum solam constituit causam merentem eamque à reliquis causis distinguit? Hinc efflagitante ratione, de merito nonnulla pro uberiori Causæ merentis intellectu, subjungenda veniunt.

§. 24. Esse meritum Vocabulum *μέσων* supra dictum est; hic indicasse sufficiat, sermonem nobis in præsentem tantum esse de merito *absolute tali*, sive de *merito boni*, non autem simul de *merito mali*, quod alias *Demeritum* dici solet.

§. 25. Sumitur autem Vox *meriti* imprimis tripliciter: (1) *Abstractive* pro conditione & valore operis, cui præmium aliquod respondet; quomodo in moralibus describitur, quod sit *Realis relatio actionis moralis ad rem a ratione prædeterminatam, cujus ipsum agens morale capax existit vi juste servate equalitatis inter ipsam actionem ipsamque rem præstitutam honestatis moralis amplectende gratia*. Vid. sæpius laudat. DN. D. Velth. introd. ad Hug. Grot. de J. B. & P. l. 2. C. 20. p. 1135. (2) *Concretivè* pro actione meritoria. (3) *Terminative*, sive pro termino actionis meritorie, h. e. pro bono sive præmio quod propter actionem meritoriam confertur.

§. 26. Nobis cum hic sumatur meritum in significatione secunda pro actione nempe *meritoria*, non possumus non quin breviter tangamus, meritum, hoc modo sumptum, usurpari quandoque in tam *abusiva & impropria* significatione, ut etiam *actio, ~~quæ~~ gratis, ex promissione donantis ejusque misericordia & liberalitate aliquid datur, ejus, quod datur, meritoria, dicatur* Quomodo illud apud Patres Græcos simul atque Latinos haud infrequenter usurpatum legi, docuit nos *Maxime Rever. Ampliss. & Excell. DN. D. Joh. Guilielm. Bajerus, S. S. Theol. D. ejusdemque Professor Publ. Famigeratissimus, p. t. Rector Magnificus, Dn. Patronus & Præceptor noster multis nominibus submisso Venerandus*, in Coll. Theol. contra Pontificios M. S. quæst. 4. de  
Reno-



Renovat. §. 3. Sed abusivam & impropriam hanc meriti significationem nunc removentes, meritum *proprie dictum* tantum hic sub nostram venire volumus considerationem; non quidem quatenus illud *specialissime* sumitur pro *actione meritoria morali tantum*, sed in significato paululum *generaliori*, quatenus quoque actiones *non-morales* sub se comprehendit. Et sic non in *significatione tam stricta*, in qua meritum dicitur, cui ex iustitia commutativa & debito presse dicto debetur compensatio; Sed quatenus etiam actiones sub se complectitur illas, quibus quidem debetur compensatio, sed non ex iustitia commutativa & debito stricte dicto. Conf. §. 2.

§. 27. Meritum proprie dictum, quod ex Condigno Scholastici vocant, Georg. de Rhodes Theol. Schol. Tom. 1. Tract. 5. disp. 4. quæst. 1. sect. 2. optime definiri posse putat: *Opus propter quod debetur homini à Deo alicujus præmiæ retributio*. Verum hæc definitio cum redoleat Meritum hominis apud Deum (quod docentibus Theologis orthodoxis nullum est) eadem missa, ponimus sequentem: *Meritum est actio bona, libera, agentis propria rei que promerendæ æqualis, movens alterum ad dandum id quod agenti debetur*. Est descriptio meriti quatenus illud simul est causa impulsiva, hoc est, quatenus illud efficaciam suam exerit & causam efficientem ad præmium conferendum movet. Verbo: quatenus per illud quis causa merens s. meritoria dicitur. Nam alias meritum (actionem indebitam compensationi & præmio dignam) præstare quis potest, ut illud tamen actu neminem moveat, licet id in se satis efficax & sufficiens ad movendum sit. Confer §. 19. & inf. §. 36.

§. 28. Dicitur autem in descriptione (1) *Actio bona*. Ubi notes velim, a potiori denominationem esse factam. Alias enim vox *actionis* hic non sumitur in *rigore Physico*, sed in significato *laxiori*, quatenus nempe non solum veram & realem actionem, sed ejusdem quoque omissionem arguit. Nam & per omissionem aliquem fieri posse Causam meritoriam ex seqq. patebit. Multo minus per vocem *actionis* omnino relegatas hic volumus *passiones*; cum & passiones, quatenus libere suscipiuntur, pro actionibus venditari soleant. *Admissiones sive receptiones actio-*



num, quatenus quidem in esse suo naturali considerantur, passiones sunt; accedente tamen imputativitate (voluntate) quod prohiberi & arceri potuerint, pro actionibus censentur. Sunt verba Celeberr. Pufend. Element. jur. univers. l. i. p. 4. Per vocem v. *Bona* ab actione meritoria *absolute dicta*, excludimus *actiones malas*; hæ enim quamvis tam internæ quam externæ suas demereri possint pœnas, boni tamen nihil merentur. Ratio est: quia inter actionem moraliter malam & bonum nulla deprehenditur æqualitas; hac autem deficiente, deficit meritum. Hinc E. g. Scortatio Thamaris non poterat dici meritoria Hædi, a Juda promissi & transmissi, Gen. 38. Optime hoc noverat novus Rex David, dum juveni, qui coronam & armillam Saulis (cui in angustiis & ad mortem vulnerato vitam eripuerat) sub spe non minimi offerebat præmii, mercedis loco gladium adjudicabat. 2. Sam. 1. Quando v. actionem meritoriam diximus *bonam*, cave per actionem bonam tantum moraliter bonam nos intelligere putet: Nam & actiones indifferentes, licet non omnes, proprie mereri, quotidiana testis est experientia. Imo in servitiis & operibus mercenariis, quæ pleraq; indifferentia sunt, meritum primo inventum esse, notat Cajet. ad Thom. 2d. 2dæ. quæst. 114. art. 1. Igitur, rō *bonum*, hic nobis idem est, ac *non-malum*, & volumus, quod actio meritoria non debeat, nec possit esse *moraliter mala*, sive illa sit moraliter bona sive minus; sufficit, si gaudeat bonitate, quæ dicitur utilis atque jucunda.

§. 29. Ad reliqua priusquam accedamus definitionis membra, duas hic ventilabimus quæstiones, sed brevissime. Prima est: *An actiones mere interne possint esse meritoria præmii?* Georg. de Rhodes loc. sup. cit. disp. 4. quæst. 2. sect. 1. §. 1. Actus solum externos nec bonos dicit nec Meritorios. Sunt alii, qui nullas actiones ad meritum referunt nisi externas & conspicuas. Nostram de hoc ut aperiamus mentem, Dicimus: *Actiones mere internas, quæ tales, DIRECTE ET PER SE nullum mereri præmium*; Ratio evidens est, quia ad actionem meritoriam, si actu mereri debeat, requiritur, ut moveat alrerum ad dandum id, quod agenti debetur; At v. actiones mere internæ in sensu hominis non incurrunt, quomodo igitur possunt  
move-



movere, quomodo aestimari possunt an bono conferendo sint æ-  
quales nec ne? Hinc H. Grotius de J. B. & P. l. 2. c. 18. *Naturæ  
humanae congruum non est, ut ex actibus merè internis jus & obligatio  
inter homines nascatur.* Sicut cogitationis pœnam (in foro soli)  
nemo meretur, ita & præmium. Diximus autem studio, dire-  
cte & per se. Nam *indirecte* & quatenus internæ actiones signis  
externis, gestibus & verbis produntur, vel quatenus in produ-  
ctionem actuum externorum influunt, eas mereri posse, non  
imus negatum. Quapropter Laud. Grot. Verbis sup. cit. eru-  
dite subjicit: *Id tamen non obstat, quo minus actus interni, quatenus in  
externas influunt, in estimationem veniant.*

§. 30. Secunda quæstio est: *An etiam actus omissio possit esse me-  
ritoria?* Doctores Scholastici maxime subtiliter inter se dispu-  
tant: *An pura actus omissio absque ullo actu positivo cum eo con-  
juncto dari possit?* Quam controversiam nunc dirimere, no-  
strum non fert institutum; interim videri de hac possunt Georg.  
de Rhod. l. c. *Becan.* Theol. Schol. p. 2. c. 3. quæst. 2. & alii; Ad  
quæstionem propositam vi §. 28. respondemus affirmative. Sic  
E. g. Si Regi Poloniæ promitteret Imperator Turcicus certam  
pecuniæ summam, ne militia sua Imperatori nostro Romano  
amplius subveniat, & Rex Poloniæ, Exercitu suo non succur-  
rens, promissam summam a Turcarum Imperatore potiretur,  
hujus pecuniæ Causa merens s. meritoria per omissionem actus  
exterioris rectissime diceretur.

§. 31. Dicitur (2) *Libera.* Hic repete quæ supr. §. 14.  
seqq. de libertate dicta sunt & huc applica. Ex hoc verò rur-  
sus apparet actiones brutorum meritorias dici non posse;  
Hinc recte Georg. de Rhod. *Quia creatura irrationalis agit sine  
libertate, opera ejus rationem non habent meriti.* l. c. quæst. 1.

§. 32. Dicitur (3) *Agenti propria,* hoc est, talis actio, que  
*in agentis est potestate, quamque propriis suis viribus producere  
potest.* Hinc est, quod Theologi nostrates negent, opera  
Renatorum posse dici meritoria vitæ æternæ, quia nempe bo-  
na, si quæ faciant opera, non suis propriis, sed unice uniceque  
Spiritus S. viribus faciant.



§. 33. Dicitur (4) *Indebita*. Hoc est, *ad quam præstan-*  
*dam agens illi, apud quem mereri vult, non fuit obligatus.* Ubi no-  
tandum est, *Debitum* alias duplicis esse generis, aliud nempe  
*laxi*, aliud *stricti juris*. *Illud* ponit obligationem in aliquo;  
*Hoc* vero præter id, quod obligationem in aliquo ponit, jus si-  
mul dat alteri perfectum juste aliquid exequendi. Variis sane  
casibus evenit, ut obligatio quidem sit in nobis, nullum v. jus  
in alio; ut in debitis misericordiae, gratiae reponendae & aliis.  
Vid. Hug. Grot. lib. 2. de Jur. B. & P. c. 11. Item Max. Rev. DN.  
D. Velthemii Introd. in hoc Cap. Ejusque Just. Met. p. 1085. Eo-  
dem modo actio aliqua debita dici potest dupliciter: (1) *Quan-*  
*do agens ad eandem exercendam fuit obligatus vel vi præcepti di-*  
*vini vel legis naturalis.* Sic E. g. Actus misericordiae, quo Ege-  
no subvenitur Eleemosyna, est actio debita: Omnes enim tam  
lege divina quam naturalis sumus obligati, ut data occasione, actus  
misericordiae exerceamus. (2) *quando non solum nos ad actio-*  
*nem, quam præstamus, sumus obligati, sed alter quoque, cui præsta-*  
*tur actio, facultatem habeat eandem stricto jure a nobis exigendi.*  
Quomodo actus misericordiae, quando egeno datur eleemosy-  
na, actio debita non est. Mendicus enim denegata eleemosyna  
eandem, ut sibi debitam perfecto jure, vi, actione & certatione,  
exigere non potest. Quando nos ad actionem meritoriam re-  
quirimus ut *non sit debita*, actionem debitam non intelligimus  
*priori*, sed *posteriori* modo consideratam. Quod enim quis per  
actionem priori modo debitam mereri possit, ex §. 6. constat, &  
probant id Exempla quotidie plura. Si vero actio posteriori  
modo est debita, tunc agens per illam nihil mereri potest. Nam  
qui præstat id, ad quod perfecte obligatus est, & in quod alter,  
cui præstatur, jus habet perfectum, is hoc ipso, dum præstat id,  
quod ex debito præstare tenetur, debitum suum tantum explet  
& obligationem, nihil vero meretur. Qui præstat id in quod al-  
ter jus habet, is nihil præstat de suo proprio, nihil ipsi de suo de-  
cedit & alteri accrescit; sed quicquid præstat, etiam ante præ-  
stationem est illius, cui præstatur, & hinc merito locus datur nul-  
lus. Accedit quod meritum proprie dictum in eum, cui præsti-  
tum est, inducat compensandi debitum; hoc vero de actioni-  
bus



bus debitis quis diceret? His enim sæpius licet bona quædam  
constituantur & conferantur, id tamen non fit ex debito, non  
tanquam ex merito, sed tantum ex gratia, ex liberali pacto &  
gratuita promissione donantis; unde etiam ea nec mercedis  
aut præmii debiti, sed doni aut præmii gratuiti nomine venire  
solent. Pufend. l. c. p. 336. Nam accipere præmium ob liberale  
pactum vel ex promissione gratuita tantum, & mereri s. impe-  
trare præmium per & ob meritum, repugnantia sunt. Sicuti li-  
berale pactum & gratuita promissio actionem debitam non  
potest facere indebitam: Sic quoque pactum & promissio ex a-  
ctione debita non potest facere Meritum. Non igitur video  
quomodo Bellarm. contradictionis laqueum effugere possit,  
quando lib. 5. de justif. c. 3. statuit, *B. Renatorum opera, licet ea  
sint debita, ita, ut renati nihil faciant præter id quod debeant & hinc  
nihil justæ mercedis petere possint, nihilominus tamen retinere veram  
& proprie dictam rationem meriti propter liberale pactum quod Deus  
sub conditione operum nobiscum inierit.* Rectius Durandus apud  
Vasq. disp. 213. c. 3. *Quod redditur ex promissione (ex liberali pa-  
cto) non redditur ex merito.* Meritum semper fundatur in di-  
gnitate operis indebiti; ubi igitur opus est debitum, ibi exulat  
meritum proprie dictum. Et hinc fit quod neque Filius neque  
Servus actionibus suis, ad quas præstandas obligati sunt, (Hic  
quidem jure herili, ille vero jure patrio) nihil proprie mereri  
possint. Vid. DN. D. Scherzerus Theol. ap. Lipsienses Celebratissi-  
mus in disp. De merito hominis apud Deum. c. 1. §. 9. Opus vero  
quo minus est debitum eo magis est meritorium. Thom. 1. 2.  
quest. 114.

§. 34. (5) Dicitur: *Rei promerendæ æqualis.* Quo volumus,  
Actionem meritoriam non minoris esse debere valoris & dignitatis  
quam res promerenda. Præstatio operis indebiti est fundamentum &  
scaturigo Meriti, inquit DN. Pufend. l. c. p. 335. Addimus nos:  
*Rei promerendæ æqualis:* æqualitas enim si desit, meritum eva-  
nescit omne. Solet autem æqualitas apud Moralistas statui du-  
plex: (1) *Æqualitas κατὰ τὸ πρᾶγμα*, hoc est, æqualitas rei & in-  
essendo, qualis datur inter res ejusdem speciei. E. g. Titius Sem-  
pronium in colendis agris biduo juvat labore, & hoc propter  
Sem-



Sempronius iterum per tot dies, in agro profcindendo succurrit Titio: Hic inter duas has actiones *æqualitas κτ̄ τὸ πρᾶγμα* datur, quia actus uterque physice spectatus unam specie rem dicit. (2) *Æqualitas κατ' ἰσότητα* s. *κατ' ἀναλογίαν*, h. e. *Rationis & proportionis*, quæ a recta ratione, seu recto Viri prudentis iudicio determinatur. Et hæc consistit in æquivalente Valore unius ad alterum; Vel ut accommodate ad rem loquamur præsentem, in æquivalente valore actionis ad rem promerendam vel promeritam, sive adsit æqualitas rei s. minus. Ad æqualitatem quam habere debet actio meritoria cum re promerenda, non requiritur, ut sit *æqualitas κτ̄ τὸ πρᾶγμα*, sed sufficit illa, quæ κατ' ἀναλογίαν talis est, h. e. *æqualitas rationis*. Sc. requiritur, ut actio sit æquivalentis valoris cum re promerenda, id est, actio tam perfecta debet esse in suo genere, in genere nempe actionum, quam perfecta est res promerenda in suo genere, genere nempe rerum, ita ut valor actionis exhauriat pretium & æstimationem rei promerendæ, ut ut retribuens ab agente nihil amplius exigere possit. Si enim actio minoris est valoris ac æstimatur res promerenda vel promerita, ejus meritoria dici non potest, quia id quod ultra meritum datur, ex gratia datur & liberalitate. Hinc labor operariorum Matth. 20. qui circa horam tertiam ingressi fuerant Vineam, æqualis erat denario a patrefamilias soluto; opera v. eorum, qui unam tantum horam in ea sudarant, æqualis denario non erat: Hi proinde denarium non ex merito, & ut mercedem debitam, sed ex gratia & liberalitate patrisfamilias ut domum & præmium gratuitum accipiebant. Notanter v. dictum: Actionem non debere esse *Minoris Valoris* &c. Quamvis enim aliquando fiat, ut actio superet Valorem rei promerendæ, per hoc tamen ratio meriti non statim evertitur. Nam ut ratio meriti cesset, non qualiscunque sufficit inæqualitas actionis, non excedens; sed deficiens tantum. Si enim Petrus promeruit 15. gr. promeruit etiam 10. gr.

§. 35. Quæritur hic: Unde valor & dignitas actionis meritorie æstimari possit ac debeat? Scotus in 3. dist. quæst. 19. Valorem cujuscunque actionis fundat in actionis entitate: Quam tamen sententiam Becan. p. 3, Theol. Schol. tr. i. c. 14. quæst. 1. rectissi-



rectissime rejicit. Nam non solum ex *substantia actus*, sed ex aliis etiam circumstantiis valor iste desumendus est. Et hæ circumstantiæ cum maxime variant, & ipsum variare dignitatis fundamentum, profiteri necessum habemus. Alias duplex alicujus rei est dignitas, una *naturalis*, quæ rei est intrinseca: Altera *arbitraria*, quæ rei est extrinseca. *Illæ* ex rei natura. *Hæc* ex ejus usu, nostra indigentia &c. æstimatur. *Illæ* est absoluta. *Hæc* respectiva & quoad nos. Et hæc ultima sicuti in permutationibus maxime attenditur, ita, ut non solum res cum re; sed potissimum etiam cum ejus usu, arte, labore ac indigentia nostra conferatur, & ex his de valore & dignitate ejus judicium ferri soleat. Ita quoque cum Merito comparatum est, cujus valor, dignitas & præstantia non solum ex *actus substantia*, sed sæpius etiam, imo sæpissime ex circumstantiis aliis, nempe ex *conditione agentis, qualitate actionis, ejus difficultate, arte, penuria, utilitate* &c. æstimari solet.

§. 36. Dicitur (6) *Movens alterum*. Per quem intelligimus causam efficientem principalem, hoc est, illum cui meritum præstatur, & a quo merens bonum intentum ob meritum conferri cupit. Si enim hic meritum compensare debet, requiritur, ut voluntas ejus ad bonum conferendum moveatur, quod fit per meritum. Sic E. g. Labor Operariorum Matth. 20. erat meritum quod movebat patrem familias, ut illis mercedem (denarium) daret. Hoc v. quo intelligatur rectius cum B. DN. D. Job. Museo, Theologo dum viveret judiciosissimo & de Ecclesia Christi merentissimo post fata pie colendo, ex *Tract. de etern. Elect. Decret. c. 5. §. 110.* notasse juvabit, meritum s. actionem meritoriam duplicem involvere respectum. *Unum* ad rem meritam; *alterum* ad voluntatem causæ efficientis, quam ad rem conferendam movet. Sane ad actionem meritoriam ut actu sit meritoria non sufficit benefactum præmio dignum; sed insuper requiritur ut actio præmio digna s. meritum efficaciam suam exerat, h. e. Voluntatem Causæ efficientis ad decernendum & conferendum præmium moveat. Nam esse causam meritoriam præmii, est vi meriti efficere ut bonum vel præmium alicui conferatur, efficere autem vi meriti, ut præmium alicui conferatur, est, per meritum Voluntatem Causæ efficientis, penes quem est

D

id



id conferre, movere ut illud conferre velit & actu conferat. Quando igitur meritum efficaciam suam non exerit & causam efficientem ad bonum conferendum non movet (quod ex defectu hujus vel illius circumstantiæ & conditionis contingere potest sæpius) tunc is qui meritum præstitit causa merens seu meritoria dici non potest. Sic E. g. Sint duo milites propter delictum ad vincula damnati, quorum Nobilis æqua tangatur misericordia proque cujuslibet liberatione judici promittat, centum Imperiales, Judex quoque hanc promissionem ratam habeat, inque captivorum dimissionem, si milites ipsi gratiam hanc acceptare velint, consentiat. Hinc Nobilis pro primo pecuniam solvit, qui beneficium hoc grato animo acceptat, & liberationem impetrat. Post solvit quoque Nobilis pro altero, qui vero gratiam hanc nec agnoscere, nec acceptare vult, sed illam manibus quasi pedibusque repellit; quapropter libertati non restituitur sed perpetuis detinetur carceribus. Ecce! Meritum satisfactorium pro hoc posteriori æque ac pro priori præstitum, quod tamen (ex propria delinquentis culpa) judicem non movit, ut huic æque ac priori liberam concederet auram. Et hinc quoque Nobilis in respectu hujus militis non æque ac prioris causa satisfactorio-meritoria dici potest, ut meritum satisfactorium pro utroque præstiterit, quantum ex parte sua requirebatur, sufficientissimum. *Quam eximus, in doctrina de universalitate meriti Christi, de Electione & Reprobatione adhibendus, sub hoc §. latitet usus, attentus Lector ipse facile perspicit.*

§. 37. Sicuti vero ab actione meritoria s. merito tunc demum causa merens quis dicitur, si meritum est efficax, h. e. quando illud causam efficientem ad præmium conferendum movet; Ita, (quod adhuc notatu dignissimum censemus) impossibile est, aliquem causam merentem s. meritoriam alicujus rei esse, ut tamen *meritum ejus non simul sit causa impulsiva (vel formaliter vel virtualiter talis) quæ moverit causam efficientem, ut præmium conferre voluerit & actu contulerit.* Sic E. g. si meritum ab operariis Matth. 20. præstitum efficax non fuisset & patrem familias ad præmium conferendum non movisset, tunc operarii quoque causæ meritoria denarii dici non potuissent. Quia vero operarii causæ meritoria accepti denarii fuerunt, fuit quoque & non potuit



potuit non fuisse meritum illorum causa impulsiva & ratio propter quam paterfamilias denarium illis dare decrevit & actu dedit. Utinam hoc observasset vel saltem observare voluisset *Wendelinus*, in absurditatem illam non incidisset, ut Christum cum suo merito causam meritoriam nostræ salutis diceret, & tamen negaret ejus meritum, fide finali apprehensum, esse causam impulsivam (virtualiter talem) hoc est, rationem propter quam Deus ab æterno decreverit quibusdam vitam æternam in tempore dare.

§. 38. Ex hæcenus dictis autem notabile, quod inter meritum intercedit & causam merentem, satis inclarescere puto discrimen: Scilicet differunt causa merens sive meritoria, (ut hic sumitur,) & meritum, ut *causa moralis* & *causa impulsiva* *ωεγατακτηνη*. Causa merens est causa moralis, ut supra dictum; meritum vero, quando movet, est causa impulsiva externa impellens causam efficientem ad præmium dandum. Sic Christus, docentibus Venerandis Theologis, est *causa merens seu meritoria nostræ salutis*: Meritum vero ejus sufficientissimum, fide finali apprehensum, est *causa impulsiva externa*, (virtualiter talis) movens Deum (nostro concipiendi modo) ad decernendam & conferendam nobis vitam æternam. Sunt ex Philosophis, qui meritum & causam meritoriam differre statuunt ut instrumentum & causam instrumentalem, dicentes, *omnem quidem causam meritoriam esse meritum*, sed non contra, *omne meritum esse causam meritoriam*: Item, *meritum plus formaliter non esse quam opus præmio dignum*; *causam autem meritoriam ipsi addere causalitatem*. Existimant igitur, meritum & causam meritoriam differre ut causam actu & causam potentia, ut veram causam & non-causam, ut ferram in pariete pendentem & actu secantem. Verum loquuntur Aa. hi non de *causa meritoria morali*, de qua nobis in præsentis sermo est, sed de *causa impulsiva meritoria*, de qua prior propositio omnino vera est; nam causa meritoria impulsiva nihil aliud est quam meritum quod movet. Eandem vero de causa meritoria morali & merito contradistincta si similiter procedere putares, falleres & falleris egregie. De hac enim Propositio hæc: *Omnis causa meritoria est meritum*; eo minus est vera, quo magis ejus contraria: *Nulla causa meritoria est meritum*; est verissima. Nam quemadmodum causa mandans seu mandatoria non

D 2 est



est mandatum; causa consulens non est consilium ipsum: Ita quoque causa merens sive meritoria non est ipsum meritum. Causa merens sive meritoria dicitur persona quæ meret; meritum v. est id, quod causa merens adplicat. Causa merens est is, qui præmium ob meritum conferendum intendit; meritum v. est id, per quod causæ merentis intentio est efficax, & per quod alter ad præmium conferendum movetur. Breviter causa merens seu meritoria est *causa moralis*; Meritum, quando movet, est *causa impulsiva*. Et quidem quando meritum est causa impulsiva, tunc illud non movet ut *causa instrumentalis*, sed ut *causa principalis*. Nam licet meritum sano sensu dici possit instrumentum causæ merentis, causa tamen instrumentalis respectu motionis illud salva veritate vocari nequit. Etenim non omne instrumentum, in actu secundo positum, statim causa instrumentalis est. Annon ignis instrumentum est, quo incendiarius utitur ad comburendas ædes? quis v. ignem causam instrumentalem combustionis diceret? Sic meritum, licet sit id, quod causa merens adplicet, & mediante quo causam efficientem moveat; illud tamen causa instrumentalis ipsius motionis dici non potest, quia meritum virtutem movendi sufficientem in se habet & satis nobilem, ita, ut ad movendum nulla causæ principalis motione vel elevatione indigeat, cum sæpius absente causa merente, imo tunc demum, quando hæc jam dudum in cineres est redacta, movere causam efficientem incipiat. Alteram v. quod concernit propositionem qua dicebatur: *Non omne meritum esse causam meritoriam*, illa de causa meritoria impulsiva sicuti itidem est vera; (nam meritum ut meritum non movet, nec omne meritum, ut sup. dictum, movet; hinc illud considerari potest nunc, *materialiter* & quatenus movere potest; nunc autem *formaliter* & quatenus illud actu movet, h. e. quatenus illud esse potest causa impulsiva & quatenus illud actu est causa impulsiva.) Ita eandem de causa meritoria morali veram quoque pronunciamus, imo de hac non solum hanc particularem, *Non omne meritum est causa meritoria*; sed hujus etiam subalternantem, hanc nempe universalem: *Nullum meritum est causa meritoria*, omni exceptione majorem credimus. Sicuti enim dicere non possumus: Mandatum



datum est causa mandans ; Consilium est causa consulens &c.  
Ita nec dicere possumus : Meritum est causa merens five me-  
ritoria. Nam causa meritoria moralis est causa mediata per  
intentionem & per meritum, quod de ipso merito nemo facile  
dicet.

§. 39. Antequam huic membro finem imponamus, hoc  
adhuc observandum relinquimus, quod, licet *omne meritum, quan-*  
*do movet, sit causa impulsiva*, non tamen vice versa ; *omnis causa im-*  
*pulsiva sit meritum*. Sic E. g. constantes & ardentissimæ mulie-  
ris Cananæ preces erant quidem causa impulsiva quibus mo-  
vebatur Pastor Domus Israelis, Salvator misericors ad liberan-  
dam ejus Filiam a vinculis Satanæ, Matth. 15. Preces tamen hæ  
non erant meritum.

§. 40. Dicitur in descriptione meriti (7) *ad dandum id &c.*  
per hoc indicatur *causatum causa merentis*, quod nihil est aliud,  
quam *bonum illud, quod causa merens ob meritum a causa efficiente*  
*conferendum intendit & ab ea consequitur*. Hoc vero causatum  
pro varietate causæ meritorix ejusque intentione, nec non  
conferentis voluntate maxime variat : Potest enim illud esse  
vel *pecunia, frumentum, ager, domus, laus, honor, concessio immuni-*  
*tatum & privilegiorum &c.* Quæ bona communiter a Moralistis  
distingui solent in *Verbalia & Realia*. Cl. Puffendorff. l. c. p. 337.  
ea dividit in *Corporalia, non-Corporalia & Intentionalia*. Alias  
generaliter *mercedis & premii* nomine venire solent: Quæ duo vo-  
cabula licet communiter ita distingui soleant, ut *merces proprie*  
*dicatur bonum actioni æquivalens, quod facta expressa stipulatione ex*  
*debito justitiæ commutativæ stricte dicto datur*; *præmium v. dicatur*  
*bonum, quod quidem ob meritum confertur, verum non vi justitiæ com-*  
*mutativæ, sed cujus impletio quoad modum, tempus & quantitatem in*  
*libero retribuentis arbitrio relinquitur*. Nihilominus tamen per-  
miscentur sæpius, ita ut vox mercedis indifferens sit tam ad mer-  
cedem, quæ salva justitiæ commutativa denegari nequit, quam  
ad præmium, quod ex justitiæ commutativa non datur. Vid.  
*DN. D. Velth. Tab. Moral. Tab. X.*

§. 41. Dicitur (ult.) *quod agenti debetur*. Quo indica-  
tur, in ejus, cui meritum præstitum est, arbitrio non relinqui, an



illud compensare velit, nec ne; sed quod hic ad compensationem sit obligatus: Et hoc quidem vel *ex debito laxi juris*, ita, ut in ipso sit obligatio ad præmium conferendum, (quia nempe æquitas & recta ratio id exigat) licet in agente non sit jus illud prohibitu exigendi. Sic Princeps licet merita ministri sui (actiones ejus, quæ hoc modo, sub his illisve circumstantiis consideratae sunt indebitæ) dignis ut coronet præmiis, velut ad aliquid quod justum, æquum rectæque ratione congruum, obligatum sentiat; Ministro tamen ad præmium exigendum, jus concessum est nullum. Vel *ex debito stricti juris* & *ex justitia commutativa presse dicta*. Ita ut, si præmium denegetur, agenti fiat injuria, eique facultas sit illud verbis, vi & actione judicialiter extorquere. Quod contingere solet imprimis in *meritis stricte dictis*, v. g. in meritis laborum ex compensaturi consensu susceptis. Hæc enim cum sint locationes & commutationes, quæ, tanquam objectum contractus, justitiæ commutativæ subternuntur, tale debitum involvunt. Sic E. g. Cnejus mittit Cajum in silvam ad findenda ligna, convenerunt de mercede, & pro cujusvis diei labore promisit Cnejus 4. gr. Hinc absoluto, præterlapsis duobus septimanis, labore, tenetur Cnejus *ex debito stricti juris* & *vi justitiæ commutativæ* exsolvere Cajo 2. Imperial. hos si numerare detrectet, injuriam facit Cajo, potestque Cajo pecuniam promissam promeritamque justo titulo, vi & actione postulare.

§. 42. Unde autem debitum hoc, vi cujus alter mercedem *stricto jure* dare tenetur, alter vero jus eandem exigendi sibi acquirit, ortum suum habeat, pluribus hic quidem disquiri posset; sed propter alia prolixis hic nobis esse non licet. Rem igitur ut expediamus breviter, reassumimus Exempl. §. præced. adductum, & dicimus (1) Debitum illud vi cujus obligabatur Cnejus ad solvendo 2. Imp. Cajo, (qui hos jure exigere poterat) non ortum esse (α) *ex commodo*, quod hauserat Cnejus ex labore Caji: Neque (β) *ex æqualitate operis Caji cum duobus Imperial. Cneji*. Quid enim, si Cajo in scio & invito Cnejo laborem hunc fuisset aggressus? Numne tunc Cnejus *stricto jure* obligatus fuisset ad solvendam pecuniam? Sane non fuisset,



set, licet commodum ex labore Caji sensisset. Nam ab invito nihil mereri potest. Meritum *stricte dictum* est locatio quædam, sed locatio est species contractus, contractus autem requirit utriusque partis voluntatem. Cadit E. primum. Quod vero jus hoc & debitum ex *proportione & æqualitate* quæ intercedit inrer opus Caji & duos Imp. Cneji fluere non potuerit, patet ex eo, quod labor Caji æque ad duos Imp. quos Petrus in marsupio gerebat, proportionem habuerit atque ad duos Imp. Cneji, cum tamen Cajus hos Imp. a Petro non æque ac a Cnejo poscere potuerit, unde autem hoc? Si diceres hoc inde esse, quia non æque Petro ac Cnejo ex labore Caji commodum accreverit; repeteres *πρωτον ψευδ* sup. rejectum. Dicimus E. (2) Id, ex quo jus & debitum hoc ortum suum trahit, esse *consensum vel liberam voluntatem ejus, in cujus gratiam meritum præstitum est*, h. e. quia is, in cujus commodum opus factum, illud acceptavit, illudque vel expressa vel tacita conventionem compensare promisit. Consentientes hac in parte habeo par insigne Fratrum Germanorum *DN. D. Joh. & DN. D. Pet. Musæos*, ambo *ἄνθρωποι ἐν ἀγίοις*. Ille namque in sup. laudat. tract. de Elect. p. 93. §. 129. inquit: *Causa meritoria (impulsiva) s. meritum, cum efficienti sit ratio volendi causatum & voluntatem ejus obliget ad dandum ex justitia mercedem, DEBET EX EJUS VOLUNTATE LIBERA*, si non per expressam, per tacitam tamen conventionem de remunerando ejus opere meritorio ad operandum ordinatum esse; alius enim merces ei non debetur ex justitia. Et postquam hoc B. Vir Exemplo patrisfamilias operarios in Vineam mittentis egregie illustraverat, tandem dicit: *Quod si v. paterfamilias non miserit operarium in Vineam suam, sed is SUO MOTU, ILLO INSCIO ET INVITO* abeat & colat ejus Vineam, utut cultura Vineæ bene peracta & mercede digna sit, Paterfamilias tamen non tenebitur ad mercedem solvendam, ea una de causa, quod *NON SUA VOLUNTATE* cultura Vineæ peracta, nec mercedis solutio ab ipso promissa sit. Hic autem in Inst. Met. c. 26. §. 31. inquit: *Mereri illius est, qui cum alteri nihil debeat, VOLENTI TAMEN ET PACISCENTI* de suo aut suis viribus quicquam præstat, quod remuneratione dignum est.

§. 43. Ex.



§. 43. Ex hac nunc explanata meriti definitione citra ullam difficultatem colligere valet quisque, quot & quænam actionis meritoria *absolute dictæ* sint conditiones & requisita, nempe (missis Scholasticorum placitis, quæ hac in parte maxime variant) Actio meritoria debet esse (1) *propria*. (2) *indebita*, (3) *rei promerendæ equalis*. Hæc tria requisita, præ aliis notabiliora, si actio (licet alias *bona & libera* sit) non habeat, meritoria dici non potest. Quamvis autem hæc ad id, ut actio mereri possit, sufficiant, ad hoc tamen, ut illa apud hunc vel illum actu mereri debeat, insuper ut actioni extrinsecum & conditio sine qua non, requiritur voluntas ejus, apud quem agens mereri vult. Nam licet voluntas compensaturi actioni meritoria nullam superaddat dignitatem, ea tamen adeo necessaria est, ut absente hac, actio, nec actu & formaliter meritoria esse, nec agens præmium & mercedem juste poscere possit. Item, licet ad meritum sufficiat actio præmio digna, ad hoc tamen ut meritum constituat causam merentem necessario requiritur ut illud causam efficientem ad præmium vel mercedem conferendam moveat. Et hæc de merito quantum ad explicandam causæ merentis causalitatem requirebatur, dicta sunt.

### SECT. III.

Jonathanem beneficiorum quæ David in Mephibosethum contulit, veram fuisse causam merentem, dilucide probans.

#### §. 1.

AD nostrum nunc redimus Jonathanem, de quo profecto, si ea quæ sect. præced. fuerunt allata, cum historia sect. 1. proposita diligenter conferamus, non possumus non, quin eundem elegantissimum esse causæ merentis exemplum intrepide pronunciemus. Quod jam monstrabimus ulterius; monstrabitur autem eo feliciter si singula cum causæ merentis tum ipsius meriti requisita ad Jonathanem ejusque merita breviter applicaverimus. Sint Positiones:

§. 2. 1. Jo.



§. 2. I. *Jonathan potuit esse causa merens.* In hoc vix habebimus contradicentem. Jonathanem enim ut hominem, sic suppositum intellectu & voluntate præditum fuisse, facile concedet quisque. *En! materiale cause meritoria.*

II. *Polluit Jonathan potentia libera, qua meritorias actiones edere iisdemque Davidem ad benefaciendum Mephibosetho movere poterat. Ecce! rationem causandi.*

III. *Intendit Jonathan vivus misericordiam & beneficentiam familiae suae (cujus Mephiboseth pars existebat) post obitum suum per Davidem exhibendam. Audi petitem ejus 2. Sam. 20. 15. Ne auferas misericordiam tuam a domo mea in aeternum. Et hanc intentionem suam per varia beneficia in Davidem collata (quorum Sect. 1. mentionem injecimus) efficacem reddidit; dum iisdem post mortem suam Davidem movit, ut Mephibosethum unicum ex ejus familia superstitem filium clementer exciperet, regiam ipsi gratiam promitteret eumque variis beneficiis benigne mactaret. En! causalitatem cause merentis, intentionem per meritum efficacem.* Propter merita vero Jonathanis Davidem tam belle tractasse Mephibosethum, testantur clarissima Davidis verba, quibus sic allocutus est Mephibosethum: *Mephiboseth, ne timeas, faciam tecum misericordiam* בעבור *PROPTER Jonathanem.* Nam particula בעבור (descendens a Rad. עבר transivit. Vid. Buxtorf. Lexic. Ebraic. Chald. p. 528.) transitionem quasi significat a causa ad effectum, vel contra, teste Pagnino Thesaur. ling. Sanct. p. 187. Ita ut causa, cur David bene Mephibosetho facere voluerit & actu benefecerit, fuerit Jonathan qui beneficentiam hanc intenderat suisque meritis promeruerat.

§. 3. Ne vero quis putet in actionibus beneficis a Jonathanem profectis aliquid desiderari, quo minus meritoria dici possint, addimus sequentia.

§. 4. Actiones beneficæ a Jonathanem Davidi præstitæ fuerunt (1) *libera & propria*; quicquid fecit Jonathan, libere fecit atque de suo. Fuerunt (2) *indebitæ*; quis enim Regis Filium ad ejusmodi præstanda Davidi obligatum fuisse diceret? unde Davidi jus fuisset hæc beneficia pro lubitu exigendi? Habuisse (3) beneficia a Jonathanem profecta *proportionem & æqualita-*

£

lita



litatem cum iis, quibus David Mephibosethum excepit, quid dubitemus? Instituas, si placet, comparationem; perpendas beneficia ab utraque parte præstita atque accepta; volvas & revolvas omnia; judices pro ingenio, æstimes pro arbitrio, proportionem deprehendes ubique.

§. 5. Habes igitur hic *Jonathanem beneficiorum a Davide Mephibosetho collatorum causam efficientem mediatam per meritum*, hoc est, *Illustre causæ merentis Exemplum*.

§. 6. Inoffenso nunc progredi possemus pede ad sect. 4. nisi difficultates quædam, quæ nonnullis nostram premere videntur sententiam, removendæ prius essent. Quod etiam eo alacriores aggredimur, quia ex eorum remotione hæctenus dictis lux accrescet non minima. Videbimus autem primum ea, quæ Jonathanem veram causam efficientem beneficiorum in Mephibosethum collatorum extitisse, negant. Et post illa, quæ meritum ejus evertere videntur.

§. 7. Prius igitur quod attinet, nempe Jonathanem non fuisse veram causam efficientem mediatam beneficiorum, quibus Mephiboseth a Davide honoratus fuit, sequentia evincere volunt argumenta.

I. *Quicquid non extitit eo tempore, quo effectus fuit productus, id non potest esse causa eff. effectus.*

*Atqui Jonathan non extitit eo tempore quo &c. E.*

Maj. prob. quia causa efficiens est causa per veram & realem actionem; agere autem præsupponit existere. Minor ex hist. sect. 1. constat; Cum enim David Mephibosetho beneficiebat, Jonathan in prælio interfectus, jam dudum ad plures abierat.

Verum negamus in arg. majorem, quæ, uti quidem apparet, universaliter vera non est. Nam damus *εἴσασι* a causa morali; hæc vera causa efficiens est, nec tamen ad omnem causam moralem requiritur, ut eo præcise momento semper existat, quando effectus, cujus causa moralis dicitur, a causa physica producitur, quod, si tempus permetteret, sexcentis demonstrari possit exemplis. Sic E. g. Referebant novellæ mensis Junii Viennæ deprehensos fuisse aliquot incendiarios; ponamus  
unum



unum ex his illo ipso die, quo ignem clanculum tecto subjece-  
rat, in duello periisse & ignem sequenti demum die post obi-  
tum ejus in flammam erupisse. Nonne hic incendiarius vera  
fuiſſet causa moralis hujus incendii? Imo fuiſſet. Et ecce! ef-  
fectus ab eo intentus (incendium) post ejus demum existentiam,  
post mortem ejus, esse suum accepisset. Adſit Exemplum bi-  
blicum: Sic 1. Reg. 2. David Mundo jam valedicturus in man-  
datis dabat Filio suo Salomoni, in folio ſucceſſori, ut ſecundum  
ſapientiam ſuam Joabo homicidæ duplici demeritam infligeret  
mortis pœnam: Hoc vero mandatum cum post obitum Da-  
vidis demum exequeretur Salomo, ipſe David quoque post  
ſuam demum existentiam causa moralis dicebatur necis Joabo  
inſictæ. Antequam enim Joab pœnam capitalem a Davide inten-  
tam lueret, David causa moralis occiſionis Joabi dici non pote-  
rat. Ad id, autem ut David post mortem & existentiam ſuam cau-  
sa moralis necis Joabo inſictæ dicatur, ſufficit quod is vivens  
hanc Joabi mortem intenderit, mandatum de ea inſigenda Sa-  
lomoni dederit, quodque hæc occiſio ex ejus mandato ſecuta  
fuerit. Hinc ſi prædicatum maj. in allato arg. loquitur de  
causa efficiente *immediata*, & majorem & cum ea totum conce-  
dimus argumentum. Si vero illud loquatur, tam de causa effi-  
ciente *mediata* quam *immediata*, major eſt falſiſſima; ſicut ex jam  
jam allatis patet exemplis. Hoc quidem veriſſimum eſt (ſicut in  
probatione dicebatur) quod causa efficiens ſit causa per veram  
& realem actionem. Veriſſimum quoque eſt, nunquam fieri  
poſſe, ut aliquid ſit veræ & realis actionis principium effectivum  
*immediatum*, niſi exiſtat (quod vult adductus canon Philoſ.)  
Aſt quod nemo poſſit eſſe principium vel causa efficiens ne me-  
diata quidem, niſi exiſtat, perſuadere nobis non poſſumus. Cau-  
sa efficiens mediata ſemper eſt causa per aliam cauſam principa-  
lem: Jam fieri poteſt, imo ſit ſæpiſſime, ut is, qui effectum per  
aliam cauſam efficiendum intendit, ſimulque applicavit id, per  
quod intentionem ſuam efficacem eſſe voluit v. g. mandatum,  
conſilium, meritum &c. naturæ debitum ſolvat, & ſic ipſo non  
amplius exiſtente, effectus post aliquot demum dies, meſes vel  
annos a causa phyſica producat; quo etiam ſit ut is qui effe-  
ctum



Etum intendit post suam demum existentiam ejus causa mediata dicatur. Cum igitur Jonathan effectus (beneficentia Mephibosetho facta) non fuit causa immediata, sed mediata per Davidem, causa moralis meritoria; hinc ut existeret eo precise momento, quo Mephiboseth tot beneficia ex manu Davidis impetrabat, necessarium non erat; sed sufficit quod Jonathan tunc quando vivus cum Davide conversaretur, beneficentiam domus suae (ex qua Mephiboseth) vere intenderit, hanc suam intentionem per meritum (varia Davidi exhibita beneficia) efficacem esse voluerit, & quod propter merita Jonathanis Mephibosetho tam benigne factum fuerit, quamvis ejus intentio ultimam efficaciam post suam demum existentiam acceperit, h. e. quamvis merita Jonathanis post mortem ejus Davidem moverint, ut Mephibosetho beneficeret. Certum igitur manet, quod Jonathan hujus beneficentiae fuerit vera causa effic. (mediata.) Ambabus quidem largitus manibus Jonathanem tunc, quando agebat & hanc beneficentiam intendebat, necessario existere debuisse; hujus enim intentionis, ut verae & realis actionis, erat principium immediatum. Sed exinde si concludere velles Jonathanem necessario quoque existere debuisse tunc, quando David agebat & Mephibosetho actu beneficiebat, concluderes a baculo ad angulum; hujus enim beneficentiae non erat Jonathan principium immediatum sed *mediatum*. Tunc quando David tot beneficiis mactabat Mephibosethum, Jonathan nullam actionem producebat, (quomodo enim mortuus agere potuisset) sed agebat is per Davidem: Cum Mephiboseth tanta beneficia a Davide accipiebat, Jonathan nihil agebat, sed ejusdem saltem meritum ex intentione profectum, efficaciam suam exerebat. Confunditur ergo *causalitatis causa merentis existentia* & *ejusdem efficacia*, quae bene distinguenda sunt.

II. *Causa efficiens per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum, non est vera causa.*

*Atqui Jonathan est causa effic. per accidens &c. E.*

Major est omnium Metaphysicorum. Minor vero ex definitione constat. Nam *causa per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum dicitur id, cum cujus intento & immediate producto*



*ducto effectu conjungitur alius effectus itidem intentus, in quem tamen  
 physice non influit.* Applicantur hæc ad Jonathanem. Sic Jona-  
 than immediate varia beneficia in Davidem conferebat, cum  
 quo immediato effectu alius quidem effectus a Jonathane in-  
 tentus, nempe beneficentia Mephibosethi, conjungebatur, in  
 quem tamen effectum Jonathan physice (ut terminum Suare-  
 zianum, apud Philosophos usu receptum, nunc retineamus) non  
 influebat: Hinc Jonathan hujus effectus est *causa per accidens  
 ratione influxus*, & per consequens non vera causa. Sed arg. hoc,  
 ut in recessu aliquid habere videatur, videtur tamen saltem  
 & in rei veritate non habet. Hoc ut appareat, ante omnia no-  
 tandum est, quod, quando apud Metaphysicæ Doctores de  
*causa per accidens ex parte effectus ratione influxus tantum* agitur,  
 unice respectus habeatur & haberi debeat ad illum effectum,  
 cujus causa effic. ratione influxus tantum vocatur & ad influ-  
 xum in istum effectum *immediatum & physicum*, ut vocant,  
 Quod si verum, sicuti verissimum est, argumentum, si recte for-  
 metur, nobis non contradicit. Nam effectus ad quem hic habe-  
 mus respicere, est immediata collatio beneficiorum Mephibose-  
 tho facta, quæ *qua talis*, non erat a Jonathane sed a Davide. Hinc  
 ex *Majore* ita informata: *Causa efficiens per accidens ratione in-  
 fluxus immediati non est vera causa effic. immediata & physica*, si ta-  
 lis eliceretur conclusio: *E. Jonathan beneficentia Mephibosetho  
 facta non est causa effic. immediata & physica*, illa sane nobis non  
 adversaretur, nunquam enim Jonathanem beneficentiæ Mephi-  
 bosetho factæ, causam *immediatam & physicam* diximus, sed di-  
 ximus eundem causam efficientem *mediatam* per Davidem, quem  
 meritis suis ad benefaciendum movit. Alias Jonathanem hu-  
 jus beneficentiæ sano sensu *causam per accidens*, & quatenus talis  
 est, non veram causam vere dici posse, eo minus inficiamur, cum  
 hoc statuamus ipsi; est nempe talis *ratione influxus immediati*;  
 manet tamen is adhuc vera hujus effectus causa *ratione influxus  
 mediati*, causa nempe *mediata, moralis per meritum*, hoc est, vera  
*causa meritoria*. Esse vero causam effic. *mediatam* veram quo-  
 que causam effectus, & iis, qui primis, quod dicitur, labris præ-  
 cepta gustarunt metaphysica, ignotum esse non potest vel saltem.





non debet. Annon is, qui aliquid facit mediate per alium, per se ipsum fecisse putatur. Perinde est, per se quis faciat an per alium, inquit *Magn. Grotius Lib. 3. de J. B. & P. c. 6. §. 9.*

*Dicis*: Si hoc verum est, sequitur, Jonathanem *respectu unius ejusdemque effectus* esse veram causam & non esse veram causam. *Resp.* Sic est. *Inquis*: Sed hoc contradictionem implicat. *Resp.* Video nullam. Confundis forsan, esse *respectu ejusdem tale & non tale*, cum esse *respectu eodem tale & non tale*, quæ sane sunt diversissima. Hoc quidem verissimum est, neminem absque manifesta contradictione *eodem respectu* posse dici veram causam & non veram causam; At *eiusdem respectu* quempiam esse veram causam & non causam, non implicat. Sic E. g. 2. Sam. 16. malus consiliarius Achitophel consilium dans Absoloni ut concumberet cum concubinis parentis suis, *respectu ejusdem*, ejusdem effectus, tot nempe incestuum publice commissorum, erat vera causa & non erat causa; erat vera causa *mediata*, moralis sc. per consilium, non erat hujus effectus vera causa *intell. immediata & physica*; non enim Achitophel, sed Absolon hos immediate committebat incestus. Eodem modo Jonathan *unius ejusdemque respectu*, ejusdem nempe effectus (beneficentiæ Mephibosetho factæ) & erat vera causa & non erat. Non erat ejus vera causa *physica & immediata*; erat autem ejus vera causa *mediata* merens. At Jonathanem *eodem respectu* dicere veram causam & non veram causam, esset contradictoria & impossibilia docere. Sic, impossibile est Jonathanem, quatenus causa *mediata* est, non esse causam *mediatam*: Impossibile quoque est eundem quatenus causa *immediata* non est, esse causam *immediatam*.

III. *Si Jonathan est causa efficiens effectus (beneficentiæ Mephibosetho factæ) aut ejusdem est causa totalis aut partialis. Sed neque est causa totalis neque &c. E. plane non est causa. Resp. Est causa totalis. Dicis*: E. David nihil contulit. *Resp.* Nego consequentiam. Effectus hic totus provenit a Jonathane, totus quoque provenit a Davide; a Davide ut a causa *physica & immediata*; a Jonathane vero ut a causa *mediata & meritoria*. *Regeris*: Si Jonathan est causa totalis, E. est causa completa. *Resp.*



Resp. Consequentia fallit; potest enim aliquid unius ejusdemque effectus esse causa totalis & causa incompleta. Sic E.g. tam calamus quam scriptor est causa totalis scripturæ, & tamen calamus seorsim spectatus, est causa scripturæ incompleta, quippe qui absq; intercedente scriptore nullas literas pingere potest. Similiter Jonathan licet beneficiorum in Mephibosethum collatorum fuerit causa totalis in genere sc. causæ merentis, manet tamen causa hujus effectus incompleta, quia ejusdem sine intercedente causa physica (Davide) nec causa dicitur nec dici potuit. Et hæc de primo argumentorum genere.

§. 8. Ad alterum quod spectat, actiones nempe beneficas, quas Jonathan exhibuit Davidi, vere fuisse meritorias, his impugnari posse videtur argumentis:

(1) *Actiones debita nihil possunt mereri. Actiones Jonathanis fuerunt debita, E. Et per consequens non fuit causa meritoria.* Major est proprium disputationis adfertum. Minor hac fulcitur ratione: Quia Jonathan & lege divina & naturali obligatus erat ad benefaciendum proximo. Sed Responsio ex §. 33. sect. 2. ad quem probatio majoris provocat, clarissime patet. Illic enim a merito non exclusimus actiones quovis modo debitas, sed tantum illas, quæ ita debita sunt, ut ab eo, cui præstantur, *perfecto jure, vi & actione extorqueri possint.* Hinc limitamus Maj. *Actiones ita debita, ut ab eo, in cujus gratiam præstantur, perfecto jure, vi & actione extorqueri possint, illæ non sunt meritoria.* Quomodo Major quidem conceditur, sed Minor tunc negatur simpliciter. Licet enim jure divino pariter atque naturali obligatus fuerit Jonathan misero & innocenti ut beneficeret Davidi; David tamen ea, quæ ipsi præstita fuerunt, beneficia *stricto & perfecto jure* a Jonathane exigere non poterat. Et hoc sufficit ad id, ut actiones hæc benefica vere meritoria dici possint. Nam recte sæpius citatus DN. Pufend. *Actiones (meritoria sunt) quæ illis, (quibus præstantur) non debebantur, s. nulla prorsus obligatio ad eas præstandas adstringebat, sive natura quidem eas suscipi jubeat aut suadeat, applicatio tamen ad individua in nostro relicta arbitrio, sive jure saltem civili non præcipiebantur, l. c. p. 336.*

(2) Qui-



(2) *Quicumque est causa impetratoria per preces & per pactum, is non est causa impetratoria per meritum.*  
*Sed Jonathan est causa impetratoria per preces & per pactum. E.*

Minor constat ex 1. Sam. 18. v. 3. ubi dicitur, quod Jonathan & David pepigerint pactum; quo dubio procul omni se invicem ad benefaciendum posteris, obstrinxerunt. Item ex Cap. 20. v. 15. Ubi Jonathan beneficentiam domui suæ exhibendam precibus expetiit a Davide. R. Verum vocula *qua talis* majori si inferatur Propositioni, totum concedere possumus argumentum: Tunc enim conclusio hac incedet facie: E. *Jonathan, qua talis, h. e. quatenus est causa impetratoria per preces & per Pactum, non est causa meritoria.* Quæ sane conclusio nobis contraria non est: Non enim Jonathanem diximus causam meritoriam eo, quia Beneficentiam Filio suo factam per preces vel per pactum impetravit, sed ideo, quia hanc per actus beneficos promeruit. Alias sicut absurdum non est, ut aliquis fit causa impetratoria *per preces simul atque per pactum*: Ita absurdum quoque non est, aliquem simul esse causam impetratoriam *per pactum & simul per meritum.* Et non dubitamus exemplum utriusque in sacris occurrere Pandectis. Sic E. g. Israelitæ in servitute Ægyptiaca anxie ad Deum clamantes & liberationem impetrantes, liberationis suæ & erant causæ impetratoriae per preces, quas Deus clementer exaudiebat; & ejusdem simul erant causæ impetratoriae per pactum, quia Deus illos liberabat propter pactum cum illis in patriarchis Abraham, Isaac & Jacob initis Exod. 2. 23. seq. Sic Rahab. Jos. 2. & 6. Erat & causa impetratoria per pactum, & simul causa meritoria suæ suarumque conservationis; erat nempe hujus causa impetratoria per pactum, quatenus tale cum exploratoribus de donatione vitæ pepigerat, cujus exploratores post urbis expugnationem memores, Rahab cum tota ejus familia ab ignis & gladii furore servabant incolumen. Erat autem Rahab servationis hujus causa meritoria, quatenus exploratores abscondendo iisque viam elabendi monstrando hanc ipsam promeruerat. Eodem modo & Jonathan beneficentiæ Filio suo factæ, est causa impetratoria & per preces & per



& pactum & simul per meritum; diverso tamen respectu. Dum enim Jonathan consequebatur id, quod voluerat & intenderat per meritum, impetrabat simul id, quod precibus voluerat & pacto, quia objectum utrobique erat idem, nempe misericordia & beneficentia domui suæ a Davide conferenda. Jonathan igitur consideratus quatenus hanc beneficentiam impetravit per preces, est causa *impetratoria per preces*; quatenus eandem impetravit per pactum, est causa *impetratoria per pactum*, quatenus autem per actiones illam consecutus est meritorias, *causa merens* seu *meritoria* recte dicitur. Imo, si Jonathan fuisset causa impetratoria per preces & per pactum *tantum*, tunc arg. aliquid contra nos evinceret; verum quia Jonathan præter preces & pactum tot actibus beneficis hanc beneficentiam a Davide promeruit, causæ merentis nomine rectissime venit.

#### SECT. IV.

### Qualis Causa merens noster Jonathan sit, ostendens.

#### §. 1.

Esse Jonathanem Causam merentem beneficiorum in Mephibosethum collatorum, cum monstratum sit satis prolixè, videndum nunc est ulterius, *qualis hic causa merens dicenda sit?* Quod antequam præstemus, inquiremus primo, an aliquas & quales causa merens divisiones admittat? Et de priori cum dubitemus nulli, de posteriori ut informemur, unam vel alteram causæ merentiæ divisionem notabiliorem subjicere nunc animus est.

§. 2. Quorundam Pontificiorum si legere vellemus vestigia, omnium primo distinguenda foret causa merens s. meritoria *in talem de condigno, & talem de congruo*. Nihil enim frequentius est apud Doctores Scholasticos, quam distinguere inter *meritum de congruo & meritum de condigno*. *Meritum de condigno* vocant opus bonum, cui ex justitia debetur retributio: *Meritum v. de congruo* dicunt opus, cui ex justitia retributio non debetur,

F

betur,



betur, quodq; cum præmio æqualitatem non habet, sed cui secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod donantem docet. Vid. Becan. Tom. 2. tr. 4. c. 5. quest. 1. p. 487. Celebris Georgius de Rhodis ut differentiam inter meritum de congruo & meritum de condigno eo clarius intimet, Thom. 2. Theol. Schol. tr. 5. disp. 4. quest. 1. sect. 1. ea differre dicit in eo (1) quod merito de condigno præmium debeat ex justitia rigorosa: Merito autem de congruo non item. (2) quod illud omnem excludat acceptationem gratuitam, hoc autem in ea solum fundetur. (3) quod meritum de condigno habeat æqualitatem cum præmio. Meritum v. de congruo non. Recentior Aug. Gibbon de merit. lib. 2. Disp. 38. Dub. 1. n. 4. rem exemplo militis illustrare conatur. Militi, dicit, in bello strenue se gerenti solitum stipendium de condigno debetur, qui tamen præterea de congruo meretur apud Regem nobilitatis insignia. Hinc causa meritoria de condigno dicenda foret illa, quæ causa existit per meritum de condigno, h. e. cui ex justitia debetur compensatio. Causa v. meritoria de congruo diceretur, quæ causa existit per meritum de congruo, h. e. quæ præmium accipit ex liberalitate donantis.

§. 3. Verum sicuti spuria & nullius pretii est distinctio Pontificiorum inter meritum de congruo & meritum de condigno: Ita non melioris farinæ est distinctio causæ meritoria in de condigno & de congruo talis, quia hæc in illa fundatur. Meritum de congruo proprie dictum meritum non esse, & inviti concedere tenentur pontificii. Imo largiuntur id sponte Becanus, Georg. de Rhod. & doctiores alii. Nam ubi nulla inter opus & præmium deprehenditur æqualitas, quomodo ibi meritum proprie dictum locum habere potest? Quod datur ex liberalitate donantis, propter merita datum esse quis diceret? Miles quidem soliti sui stipendii est causa meritoria proprie dicta: Quando v. eidem strenue pugnanti (ad quod tamen strictissimo jure omnique modo obligatus erat) præmia promittit, ejusque præclara prælia nobilitatis insignibus coronat Princeps, hoc gratuitum officii & obsequii præmium est, non autem proprie dictum meritum. Hac igitur divisione rejecta adducemus alias.

§. 4. Et quidem (1.) distingvimus causam merentem s. meritoriam in formaliter & virtualiter talem. Illa est, quæ effe-  
ctus



*Res (boni) a se distincti & realiter producti causa mediata per meritum existit. Hæc est causa merens rei s. boni realiter non producti, ita tamen se gerit, ut, si res seu bonum realiter produci posset, illius quoque vera & in rigore sic dicta causa meritoria existeret; proinde nihil aliud est quam ratio cur res sit & propter quam res se habeat sic & non aliter. Liceat mihi optima Venerandorum Theologorum pace, præsentem distinctionem Suavissimi Salvatoris nostri exemplo Sect. 2. §. 38. adducto (quia commodius nunc non datur) breviter illustrare. Optimum hunc nostrum Salvatorem vocant Theologi nostri causam meritoriam & Salutis æternæ, quam Deus pater credentibus dat; & decreti prædestinationis. Sed, Salutis quam Deus credentibus dat, dicitur causa meritoria formaliter talis, quia salus æterna est effectus realiter a Deo productus & distinctus. Decreti vero prædestinationis, dicitur causa merens virtualiter talis, quia decretum prædestinationis nõ est actus realiter productus; sed actus Voluntatis divinæ qui ab essentia divina realiter non differt; adeoque sicut ipsa essentia divina, ita & hic realiter non producitur nec causam formaliter talem agnoscit. Vid. Magnif. & Maxim. Rev. Dn. D. Bajeri Compend. Theol. MS. part. 3. c. 2. §. 7. lit. a.*

§. 5. (2.) Alia potest dici *Stricte dicta*; Alia *non stricte dicta, proprie tamen dicta*. Illius exemplum erant operarii Sect. 2. §. 7. Itemque Cajus §. 42. adducti. Hujus exemplum in ministro principis eadem §. Monstratum est.

§. 6. (3.) Alia est *principalis*, alia *Instrumentalis*. *Causa merens seu meritoria principalis est, quæ auctoritate propria aliquid meretur. Instrumentalis vero est, quæ ex præscripto & mandato alterius, a quo dependet actionem meritoriam elicit.* E. g. Architectus cum servis suis erigendo domum Consulis promeret 100. Imperiales, Architectus est hujus pecuniæ causa merens *principalis*, Servi vero quamvis respectu ædificationis æque ac Dominus causæ physicæ principales vocari debeant, respectu tamen pecuniæ promeritæ causæ tantum sunt *instrumentales*, quia in ædificando a mandato & jussu Domini dependebant. Ad esto Exemplum Sacrum: sic Barfillai Gileadita, qui Davidi exuli victu succurrebat & amictu, erat causa meritoria *principalis* singularis affectus



& benevolentia, qua prosequabatur eundem David in via versus Jerusalem, itemque beneficiorum, quibus Filii sui in aula Davidis & Salomonis in magna copia fruebantur. Filii autem Barfillai, qui forsan cum parente & ex hujus mandato simul apportarant Davidi necessaria vitæ media, beneficiorum a Rege acceptorum causæ meritoria fuerunt tantum *instrumentales*. Conf. 2. Sam. 17. § 19. cum 1. Reg. 2.

§. 7. (4.) Alia est *solitaria*, alia *Socia*. Illa dicitur, cum qua nulla alia causa meritoria ejusdem ordinis ad idem bonum promerendum concurrat. Talis erat David qui per duellum cum Goliatho initum feliciterque finitum promerebat Israelitis libertatem a servitute, hoc est, ne Israelitæ Philistæis fierent subiecti 1. Sam. 17. Hæc est, quæ cum alia causa meritoria ejusdem ordinis ad idem bonum promerendum, concurrat. Sic E. g. causæ merentes Sociæ erant Jabesitæ, quibus propter honorem sepulturæ corporibus Saulis & Jonathanis cum proprio vitæ periculo exhibitum, misericordiam ac benevolentiam promittebat & exhibebat David. 1. Sam. 31. 2. Sam. 2.

§. 8. (5.) Alia est *Finita* alia *Infinita*. *Finita* dicitur persona finita quæ per meritum finiti valoris & bonitatis meretur bonum finitum. *Infinita* vero est persona infinita quæ per meritum infiniti valoris & bonitatis promeretur bonum infinitum. Ad causas merentes finitas pertinent omnia exempla hætenus adducta præter exemplum Christi Θεωπρωπος, quem ut causam merentem infinitam infinito suo merito infinitum & æternū nobis promeruisse bonum, salutem nempe æternam, venerandi nos informant Theologi.

§. 9. (6.) Alia dici potest quæ *sibi soli*; Alia quæ *alteri tantum*; Alia vero quæ *sibi & aliis simul* meretur. *Prioris generis* causa meritoria erat Jacob, qui oves pascendo pulcherrimam sibi promerebat oviculam, Rachelem Labanis Filiam. (למנו ovem significat, vid. Buxtorf. Lexic. p. 730. Gesner. in cap. 29. Gen. quest. 3.) *posterioris generis* causa merens erat Rahab (cujus Sect. præced. §. 8. dub. 2. mentionem fecimus,) quæ per liberationem speculatorum tam propriæ quam Parentum, Fratrum & Sororum conservationis causa existebat meritoria. *Medii generis* causa merens iterum fuit mediator noster Christus Jesus, quæ, quicquid passione

ne



ne & morte sua promeruit, id omne nobis, sibi vero nihil promeruisse, contra Adversarios quosdam orthodoxi doctrine Theologi.

§. 10. (7.) Distingui potest causa meritoria in talem quæ simul est satisfactoria, & talem quæ non simul est satisfactoria. Illius exemplum erant Architecti qui tempore Regis Joas templum renovabant hierosolymitanum 2. Reg. 2. Hujus exemplum adductum est §. 41. sect. 2. cui addi potest Callias, qui Cimoni Miltiadis Filio per solutionem pecuniæ, qua pater Cimonis multatus erat, liberationem promerebat ex vinculis & simul satisfacerebat Magistratui.

§. 11. (8.) Alia est causa merens quando existit, alia post sui existentiam. Prioris generis exempla passim in disp. occurrunt. Posterioris generis exemplum habemus in Aristide, cujus Filia propter egregia sua in rempublicam merita, post obitum ejus, ab Atheniensibus honeste alebantur, de communi arario dotabantur & ex palatio ad maritorum ædes publice ducebantur.

§. 12. Ab aliis pro lubitu plures addi possunt divisiones. Sic alia potest esse causa merens post præstationem meriti, alia ante præstationem meriti. Alia per puram actionem, alia per actionem & passionem simul. Item: Alia per actionem moralem, alia per actionem indifferentem. Alia per intentionem directam, alia per intentionem indirectam. Nobis hæc propter angustiam chartæ longius persequi non vacat.

§. 13. Quæris autem nunc: Quæ cause merentis species de nostro enunciari possint Jonathæ? Dicimus breviter: Jonathan beneficiorum, quibus David persecutus est Mephibosethum, est causa merens seu meritoria formaliter talis, principalis, solitaria, finita, alteri, non simul satisfactoria, post suam existentiam & per intentionem directam. Quod cum ita clarum sit, ut ulteriori probatione non indigeat, vela contrahimus & disputationis finem facimus; igitur

SIT  
SOLI DEO GLORIA  
ATQVE  
ERRATIS VENIA.

Præ-



**P**Ræclarô *Causam* studiô *Tua* *Musa merentem*  
Tractat, & ingenium *judiciumque* probat  
Atque hæc *causa* merens *Tibi* præmia pulchra meretur,  
Ingenii *laudem* *judicii*que tenes.

CL. DN. M. FRIDERICI

*primum è superiori cathedra philosophica specimen  
Imque gratulatus scrib.*

**JOHANNES GVILIELMUS BAJER,**

S. Th. D. P. P. h. t. R E C T O R

Academiæ Jenensis.

---

**D**Ebueras pridem *Sophies* scandisse *Cathedram*  
*Summam*, quam *dotes* promeruere *Tux*.

Sed *Tua* subticuit *laudanda* *modestia*, *secum*  
*Perpendens* *illud*: *Sat* cito, si bene *fat*!

**I, DECUS & FORTUNA** jubent: *Luçtamine* *parta*  
*Majorem* ad *palnam* *gloria* *calcar* erit.

*CL. DNO Magistro Presidi, SS. Theologiæ Cultori maxime  
strenuo, Auditori ac Amico meo æstimatissimo, prosperos  
successus gratulans adprecansque facieb.*

**VALENTINUS Belthem / SS. Theol. D.**  
ejusdemque P. P. ordin.

---

**D**Igna ut sæpe *suo* *merces* solet esse *labore*:


Sic nuper *Merito* **JENA** brabea dedit.

Nunc quid **CAVSA MERENS** rectè *disquiris*, *Amice*,  
*Doctrinam* *veram* *pandit* *acuta* *thesis*.

**Gratulor** hos *ausus*, *porrò* *grassare* *per* *Artes*,  
*Collustrent* *studium* *pulpita* *sacra* *brevi*.

*Hisce Clarissimo DNO Magistro Fautori atque Amico  
suo æstimatissimo, cathedram superiorem prima  
vice conscendenti, gratulari voluit*

**JO. ANDR. Schmidt / Ph. M. Log.**  
& *Metaph.* P. P.













90 A 6406

ULB Halle 3  
002 916 622




Slb

Retro V

VDMA









teru  
de  
da  
estit  
e pr  
IU  
pect  
i Di  
dine  
locu  
ii b  
n ex  
n-Pu  
sOb  
itas  
eres  
onc  
ire  
In F  
torC  
xili  
ufce  
plen  
or c  
ntu  
pro  
dep  
R D  
latu



FAVENTE CAUSA NOSTRÆ SALUTIS MERITORIA!

# JONATHAN

## MERENS,

CUJUS OCCASIONE DE CAU-  
SÆ MERENTIS NATURA AC  
DEFINITIONE, EJUSQVE ESSENTIALIBUS ET  
GENUINIS REQUISITIS DISTINCTIUS  
DISQVIRITUR,

Benevolo Ampliss. Facult. Philos. Indultu,

*in*  
FLORENTISSIMA AD SALAM ACADEMIA

*publico amicoq; candidè Philosophantium Examine  
propositus,*

PRÆSIDE

M. JOH. GOSWINO FRIDERICI,  
Sulatenfi Gvestphalô,

RESPONDENTE

MICHAEL-THEOPHILO TESCHIO,  
SS. Theol. St. Weischizio-Misnico,

*ad d. 8. Decembr.  
H. L. Q. S.*

J E N Æ,

Literis JOH. DAV. WERTHERI, Typographi Ducalis.  
*Anno M. DC. LXXXIII.*

